




ARISTOTELES

DE

POLITIA CARTHAGINIENSIUM.

TEXTUM CRITICE RECOGNOVIT, COMMENTATIONE HISTORICA ILLUSTRAVIT ET NOVAS QUAESTIONES DE POENORUM REIPUBLICAE FORMA INSTITUIT

FRID. GUIL. KLUGE.

ACCEDIT THEODORI METOCHITAE DESCRIPTIO REIPUBLICAE CARTHAGINIENSIS CUM ANIMADVERSIONIBUS.

VRATISLAVIAE MDCCCXXIV
sumtibus JOSEPHI MAX & SOCII,
LONDINI & PARISIIS
apud TREUTTEL & WUERZ.

PRAEFATIO.

Carthaginiensibus inter omnes antiquos populos, quorum res memoriae proditae sunt, praeter ceteros funestos casus haec quoque adversa obtigit fortuna, ut non solum multi libri et documenta, unde accuratior cognitio haurienda esset, vel perierint vel mutila ad nostram pervenerint aetatem, sed etiam rerum gestarum enarratio a Romanis, infensis istis Poenorum nominis obtrectatoribus, depravata posteritati tradita sit. Qua ex causa Carthaginiensium historia multis locis tam obscura est et incerta, ut, quae fuerit vera huius civitatis

conditio, saepe ex tota rerum comparatione magis coniici quam evidenter demonstrari possit. Quum autem inter omnes constet, quam praeclaras res hic populus gesserit, quamque multa apud eum fuerint instituta memoratu digna, quibus accuratius expositis antiquorum populorum historia explicetur veterisque orbis notitia augeatur: operae *pretium est, maxima cum diligentia omnia eruere et indagare, quae Carthaginiensium civitati lumen afferre possint. Cuius rei difficultatem quum docti viri non ignorassent, omnia doctrinae praesidia et ingenii acumen adhibuerunt ad dispellendas tenebras, quibus Poenorum historia premitur. Inter hos praecipue Heerenius eminet, vir ingenio et eruditione aeque praeclarus ac venerabilis, qui tam multa tamque nova proposuit, quibus Carthaginiensium civitatis forma, instituta et mores rectius intelligantur, ut huius unius studio rerum Punicarum cognitio magis aucta sit, quam communi ceterorum, qui ante eum res Pu-*

nicas tractaverunt, opéra. Quo exemplo excitatus quum ante plures annos Carthaginiensium res gestas scribere statuissem, maiori cum attentione Graecorum et Romanorum scriptores legi, qui de Punicis rebus tradiderunt, singulas partes accurata interpretatione explanavi summamque operam collocavi et in explicandis illis locis, qui ad antiquitates Punicas pertinent, et in tollendis difficultatibus, quibus Carthaginiensium historia laborat, ut tandem, confectis his quaestionibus, ad ipsam rerum gestarum enarrationem progrederer.

In tanta autem rerum et factorum frequentia, Hannibalis iter trans Alpes, Hannonis periplus et Poenorum civitatis forma imprimis mihi digna videbantur, de quibus copiosius dissererem et non modo critici sed etiam historici officio satisfacerem. In describenda enim historia ea tantum afferri debent, quae his singularibus quaestionibus nituntur. Nam molestum sane est lectoribus perpetuo in adnotationes in-

cidere, quibus animus ab enarratione avocatur et orationis continuatio interrumpitur; quod vix vitari poterit, nisi de his gravioribus rebus singulatim disputetur. Qua ex causa initium Quaestionum Punicarum *faciat commentatio de Poenorum civitatis forma; primum, quod haec descriptio omnium est difficillima et philologi opem maxime desiderat; tum, quod ex hac gubernandi ratione recte intellecta accuratior Carthaginiensium historiae cognitio petitur; deinde, quod nova aliqua me invenisse arbitror, quibus haec civitatis forma illustretur; denique, quod virorum doctorum et amicorum me adhortantium consilio satisfaciendum esse censebam. In his autem praecipue numerandi sunt praeclarissimus* Manso *et* Schneiderus, *Saxo, duumviri magno ingenio et exquisita doctrina insignes; quorum alter per triginta annos institutione et consilio non minus quam familiaritate, benevolentia et amicitia totum me sibi devinxit; alter ab eo*

inde tempore, cum Vratislaviam venisset, caritate me amplexus est et imprimis me ad Poenorum historiam scribendam excitavit. Nam cum ipse ante aliquot annos constituisset, denuo in Poenorum rempublicam inquirere et illi commentarii ad Aristotelem parti, qua Carthaginiensium civitatis formam exponit, novam operam tribuere, lubenter mecum de his rebus disputavit et lucubrationibus meis delectatus est, tantaque fuit semper in me humanitate, ut, quamquam saepe contrariam sententiam sequerer, multosque locos alio modo explicandos putarem, immo eius interpretationem refutarem, non aegre hoc ferret venerabilis senex, sed potius fateretur, hanc suam explicationem Aristotelici loci, quo Poenorum gubernandi ratio describatur, iam olim a doctis amicis simili modo impugnatam esse meisque argumentis denuo labefactatam. O! quam acerbum est atque triste, hoc libro carissimi senis memoriam renovare, qui perpetuo amore me

dilexit mihique tam multa caritatis et amicitiae documenta dedit. — Sit illi terra levis!

Scripsi Vratislaviae, IV. Id. Septembres MDCCCXXIII.

Fridericus Guilielmus Kluge,
Colleg. Primar. Gymnas. Elisabet.

PROLEGOMENA.

Reipublicae Carthaginiensis praestantia. Aristotelis commentarius. Difficultas descriptionis. Interpretum explanationes variae et opiniones inter se dissentientes. Obscuritas Aristotelici sermonis. Schneiderus, Saxo, optime de Aristotele meritus. Coraius eum secutus. Aristotelicum scribendi genus adumbratum. Adversa fata Politicorum Aristotelis. Auctoris dubia. Melior ratio Aristotelis interpretandi demonstratur. Aristotelicorum scriptorum mala conditio. Descriptionis vitia. Tenor in disputando non servatus. Hermannus optima ratione Aristotelis emendandi usus. Editores, inprimis Conringius, reprehenduntur. Aristotelis et Platonis comparatio. Auctoris consilium. Peroratio.

Pervulgata est opinio et antiquorum scriptorum consensu firmata, gubernationem reipublicae Carthaginiensis in optimis civitatum formis numerandam esse. Etenim non modo tot seculorum decursu, quibus immota fuit ac immutata, hanc civitatem sapienter institutam esse probatur, *) verum etiam res Poenorum praeclarae, regni amplitudo atque constantia, inceptorum magnitudo, occupationum frequentia, operum magnificentia et divitiarum copia felicem gentis conditionem satis indicant, quae tum demum turbata fuit, cum Romani in hac civitate artibus suis vehementes discordias excitassent et populum ad deprimendam optimatum potestatem sollicitassent.

Inter omnes autem, qui de praeclara reipublicae Punicae conditione, qua insignis fuit ante bella cum Romanis gesta, egregie disputaverunt, Aristoteles inprimis laudandus est, qui Politicorum libro secundo Carthaginiensium gubernationem et civitatis ad-

*) Cicer. de Republ. ed. Maii p. 118. Nec tantum Carthago habuisset opum sexcentos fere annos sine consiliis et disciplina.

ministrandae rationem descripsit. Qui igitur accuratam cognitionem huius imperii sibi comparare volet, ex hoc fonte hauriat necesse est. Quam difficilis autem haec cognitio sit, vel ex eo intelligi potest, quod non solum plurimi Politicorum commentatores in textu Aristotelis explicando inter se dissentiunt, sed etiam alii viri docti, qui Carthaginiensium res enarraverunt, eorumque civitatis formam exposuerunt, tam diversas sententias sequuntur, ut, si quis denuo de hac re disserere in animo habeat, vix aliquid certi effecturus esse videatur. Negari enim non potest, hanc descriptionem reipublicae Carthaginiensis inter difficillimos locos, qui in Aristotelis operibus inveniantur, *) referendam esse, sive expositionis

*) Praeclarus Coraius in editione sua hos Politicorum libros intellectu difficillimos omnium putat. „Σύγγραμμα ὅσων ὁ χρόνος μᾶς ἀφῆκε τὸ πλέον δυσνόητον, καὶ δὶ αὐτὴν τοῦ φιλοσόφου τὴν συνήθη φράσιν, καὶ διά τὰ γραφικὰ σφάλματα, τόσον πλειότερα εἰς τοῦτο, ὅσον ὀλιγώτερον τὸ ἐννοοῦσαν οἱ ἀντιγράφοντες.“ (Quae eo frequentius in hoc opere inveniuntur, quo minus librarii intellexerint, quae exscripserint.) Prolegg. p. 1.

obscuritatem, sive narrationis contradictiones, sive singulorum verborum significationem ac ambiguitatem, sive duritiem in sermone et sententiarum nexum respicias. Quam ob rem multi praeclari viri et linguae graecac et antiquae historiae periti magnum ingenii acumen et operam ad hos commentarios explanandos contulerunt. Quamvis egregia fuerint interpretum de Aristotele merita summaque laude praedicanda; quamvis immortalem gloriam sibi comparaverit doctus Politicorum interpres Schneiderus, Saxo, vir ingenti eruditione et antiquarum literarum studiis inter Germanos tam insignis; quamvis multa novissimus Politicorum editor, praeclarus Coraius, plerumque amici sui Germani emendationes probans, levi et ingeniosa coniectura verbisque feliciter transpositis praestiterit: multa tamen is desiderabit, qui ex his Politicorum commentariis civitatum cognitionem sibi colligere velit. Quilibet enim, cuius interest, Carthaginiensis reipublicae gubernandae rationem accuratius intelligere, vehementer optabit, ut viris egregiis placuisset, has Aristotelis enarrationes historiae testimoniis ex-

planare atque confirmare, et philosophi pressam orationem et sententiarum concinnitatem diligentius explicare, et tunc demum ad coniecturas confugere, cum nulla alia ratio inveniri posset, quae lucem loco pro depravato habito afferret. Ea enim est huius descriptionis Aristotelicae indoles, ut sensus non nisi acriter pugnando et refellendo constitui possit, quod alio modo fieri nequit, quam ut verborum significatio singularis et Aristoteli peculiaris demonstretur, accuratior sententiarum interpretatio adhibeatur et gubernationis descriptio exemplis ex historia depromtis illustretur. Sed et haec adminicula omni cum diligentia adhibita non omnes removebunt difficultates, quibus laborat Aristotelis enarratio reipublicae Carthaginiensis, in qua describenda tantum abfuit, ut consummatam huius civitatis imaginem depingere vellet, ut ne accuratam quidem adumbrationem delineare in animo haberet. Diligentem enim et perfectam descriptionem omnium civitatum, quarum gubernandi ratio memoratu digna esset, Aristoteles absolvit libro singulari περὶ τῶν πολιτειῶν, quem ad nos non pervenisse vehementer dolendum

est. Nemo igitur philosophum iure reprehenderit, quod in Politicorum libris ea tantum attingeret, quae ad propositum suum pertinerent, et apta essent ad sententiam confirmandam. In his enim commentariis scriptoris consilium non erat de republica Cretica, Lacedaemonia et Carthaginiensi fusius disserere, sed ea tantum eligere, de quibus quaerere posset, utrum responderent absolutae et perfectae illi imagini, quam sibi finxisset de optima civitatis forma, cuius principalem rationem ex beatitudinis notione deductam primo et secundo libro constituerat. Tota enim disputatio versatur in examinandis legislatorum artibus atque consiliis et in erroribus recensendis, quos commiserunt, cum in proposito primario exsequendo constantiam non adhiberent. Hoc autem disputandi genus philosopho critico gratam materiam praebet, instituta et gubernationis singulas partes non ex vera civitatum conditione diiudicandi, sed omnia ad fictam istam et subtilem argumentandi rationem referendi, qua mens a singulis ad universa revocetur, et rerum publicarum cognitio non ex ipsa populorum indole et ingenio petatur,

sed ex sublimi quadam et abstracta notione aut artificiosa conclusione colligatur. Hoc modo philosophus multa in civitatibus se invenisse putavit, quae ad hanc suam disciplinam facile accommodanda essent; unde factum est, ut similitudinem diversarum civitatum statueret et instituta inter se compararet, quae, si eorum conditionem diligentius consideraveris, vehementer inter se differre videntur. Itaque mirandum non est, Aristotelem, cum hanc viam disserendi iniisset, non adeo temporum rationem, civitatum mutationes et hominum mores respexisse, sed ea tantum exposuisse, quae ad cogitatam civitatis imaginem pertinerent. Fatendum autem est, in his quaestionibus multa exempla allata reperiri, quibus historia populi illustretur et civitatis forma accuratius definiatur. Quam ob rem Aristoteli magnas gratias agere nos oportet, ad quas sine dubio novus cumulus accederet, nisi liber eius, in quo antiquae civitates copiosius descriptae erant, temporum iniquitate periisset.

His autem Politicorum libris vehementer obfuisse dicitur adversa scriptorum Aristotelicorum fortuna, quae a commentatoribus

commemorari *) solet, quoties locus obscurus aut sententiarum nexus interruptus videtur. Sed timeo, ne haec ratio loci difficilis atque obscuri tractandi et coniecturis emendandi interpretes ad multos errores et ad perversam commentandi viam abduxerit, aut nimis indulgentes in Aristotelem reddiderit. Quamquam lubenter concedo, Aristotelis libros non adeo multo post eius obitum multis locis iam corruptos fuisse, et temporum iniuria, antiquorum commentatorum subtilitate, philosophorum praeiudicata opinione, latinorum interpretum caeca admiratione, scholasticorum perversa tractatione et librariorum ignorantia depravatos, mancos, interpolatos, deformatos ad nos pervenisse,

*) Idem iudicat novissimus editor Coraius. „*Τὰ δὲ Πολιτικά τοῦ Ἀριστοτέλους, παρὰ τὰς κοινὰς εἰς ὅλα τὰ ἀντίγραφα ἁμαρτίας, ἔπαθαν καὶ ἄλλο ἀθεράπευτον δυστύχημα τοῦτο· πολλαὶ φράσεις καὶ περίοδοι ἐμετατοπίσθησαν ἀπὸ τὴν φυσικὴν αὐτῶν τάξιν,* (ex proprio suo loco seu ordine) *ἄλλαι δὲ καὶ ἠφανίσθησαν παντάπασιν, ὥστε, διὰ τὰς μετατοπίσεις καὶ τὰ χάσματα, πολλὰ μέρη τοῦ κειμένου* (i. e. textus) *ἔγιναν ἀληθινὰ αἰνίγματα.* Prolegg. p. 2.

ob eamque causam Aristotelem magnopere excusandum, immo valde defendendum esse: nemo tamen mihi persuaserit, philosophum Stagiriten omni culpa vacare et omni vituperatione absolvendum esse. Qui enim diligentius tales mutilos locos inspexerit eosque cum antecedenti argumento et verborum sententiarumque consecutione contulerit, vehementer dubitabit hanc adversam fortunam esse veram et unicam causam, unde corruptelae et vitia orta sint. Etenim tam artificiosa saepe est corrupti loci ratio et sententiarum nexus tam mirum in modum interruptus, ut, si plurimi loci ex hac causa deformati sint, admirabilis casus in iis depravandis regnasse videatur. Centies enim loci, qui interpolati habentur, bene cum antecedentibus congruunt, si eos ex mente Aristotelis intelligas et ad argumenti summam referas: verborum autem continuatio soluta est et oratio dissipata, ut, quod philosophus concludere voluerit, ex propositis evidenter non efficiatur. Haec vero scribendi ratio non corruptelam textus, sed negligentiam quandam sermonis et incuriam scriptoris prodit. Tumultuaria enim est

multorum eius librorum conscriptio, cum tam saepe legentes mala singularum partium proportione offendantur et expositionis aequalis tenor desideretur. Modo enim disputatio recte orditur et bene procedit, multisque locis tam diligenter elaborata est, ut omnibus numeris absoluta sit appellanda: modo quaestio tam ieiuna est et abrupta, immo tam leviter instituta, ut severo iudici nullo pacto satisfaciat. Recte igitur concluditur, talem scribendi et disserendi rationem tot locis sibi tam constantem et similem non forte et temere evenire potuisse, sed ex scriptoris indole ita esse profectam.

Quae cum ita sint, multa capita Aristotelicorum librorum collectanea esse censeo, quae conscripserit, ut ei vel materiam praeberent copiosius disputandi, vel dexteritatem docendi adiuvarent, vel memoriae succurrerent, cum exempla, testimonia, facta, argumenta et multa alia eiusmodi afferenda essent. Qui fieri potuisset, ut libros eleganter scriptos, et opera limata, diligenti verborum electione ornata et summa cura polita ederet philosophus, cuius divinum ingenium et doctrina omnia fere amplecteretur,

quae scitu digna haberentur, cuius itinera, historiae naturalis studium, occupationes tam multiplices et temporis dispendium, quod cum hac rerum physicarum observatione coniunctum est, multa essent impedimenta, quominus animum ad quietam intuitionem et ad solam meditationem adverteret. Magna igitur pars Aristotelicorum scriptorum continet primas lineas quaestionum, informationes, adumbrationes, adnotationes, quas in adversariis suis exaravit *), ut eas, quando otium et quieta rerum conditio id concessura esset, elaboraret, retractaret et diligentius explanaret. Sic multa in eius operibus inveniuntur, quae non fatorum iniuria et librariorum ignorantia ad nos pervenerint corrupta, sed ab auctore ipso inchoata in schedis relicta post eius mortem exscripta et toti librorum collectioni inserta sint. Hoc autem iudicium de probabili prima scriptorum Aristotelicorum conditione, quam in editione artis poëticae Aristotelis praeclarus Hermannus magno cum ingenii acumine

*) Ut alios taceam, manifesto sunt documento Oeconomicorum libri duo superstites.

demonstravit, maiora praebebit futuris commentatoribus commoda et meliorem viam interpretationis monstrabit, quam ubique lacunas videre et corruptelas animadvertere. Qui enim ita sentiunt, facile inducuntur, ut promta manú lacunas expleant et coniecturis amplum spatium aperiant, quibus philosophi operibus parum consulitur. Quod si haec secum reputasset doctus Conringius, in editione sua Politicorum non quavis fere pagina locos stellulis notasset *), aut ubique sententiarum nexum desiderasset. Qui enim ex hac editione Aristotelis disciplinam de civitatibus optime gubernandis hauriri posse sibi persuaserit, is plane deterrebitur a legendis Politicorum libris, et omnino desperabit, operae pretium unquam fore, in hos studia et tempus conferre, cum nihil nisi fragmenta, singuli versus, laceratae verborum complexiones et sententiae amputatae reperiantur. Maximum autem incommodum philosopho ex eo oritur, quod Plato eius fuit antecessor, et Aristoteles ipse in refellendo praeceptore suo lectores provocat et

*) Centum et quinquaginta locos ejusmodi asteriscis notavit et mutilos putavit.

quasi invitat ad comparandam utriusque orationem. Sed quantum differt Platonicae orationis lepor, dictionis elegantia, sententiarum copia, notionum ubertas, placitorum sublimitas et disputationis varietas ab simplicitate illa Aristotelis, quae non minori quidem laude digna est, sed, cum nullo sermonis colore ornetur, tandem lectorem defatigat, qui non ubique de omnibus iisque tam diversis rebus idem disputandi genus optaverit. Etenim ad logicam formam omnia accommodare, et contrahere argumenta in enunciationes nimis breves et nudas, aut una comprehensione plures sententias complecti, et notioni principali multas propositiones adserere, et orationis consecutionem ad pauca verba referre, tam peculiare est Aristotelis sermoni, ut κριτήριον quoddam ex hoc singulari dicendi genere sumatur ad ea distinguenda, quae in eius scriptis genuina sint, aut spuria, aut ab aliis emendata. Qui enim cuncta logicis formis metitur et ad ratiocinationem revocat, et omnia, haud secus ac si essent physica, in genera et species distinguit, dividit, colligit: is eodem scribendi genere utatur necesse

est, quo Aristotelem usum esse videmus. Tantum autem abest, ut haec a me dicta sint ad minuendam gloriam viri magni et praeclari, ut potius ingenue atque libere fatear, Aristotelicorum scriptorum vim, et quae ex iis in communem hominum salutem redundarint utilitates, maioris fuisse momenti, quam ea commoda, quae divini mei Platonis sapientia sublimis rebus terrestribus unquam praebuerit.

Sed praemonenda haec erant, ut quilibet intelligeret, quod consilium in meo libello secutus sim. Ad illas enim leges Aristotelis commentarium de republica Carthaginiensium diiudicavi et commentatione critica et historica explanavi. In qua conficienda si quid novi invenerim, operae et laboris summum praemium habebo, a viris doctis probari; sin autem erraverim, grato animo accipiam, quae iudices harum rerum periti mecum communicare velint. Tales enim rogare opus non est, ut, quae in re tam difficili et in locis a multis commentatoribus iam frustra tentatis praestari possint et a me praestita sint, benevole secum perpendant.

Ἀριστοτέλους Πολιτικῶν

τὸ Β. Κεφ. ή.

Περὶ τῆς τῶν Καρχηδονίων πολιτείας.

CAPUT PRIMUM.

Carthaginiensium respublica laudatur. Commentatorum interpretatio. Triplex τοῦ πολιτεύεσθαι ratio indicatur. Sensus accuratius explicatur.

Πολιτεύεσθαι δὲ δοκοῦσι καὶ Καρχηδόνιοι καλῶς, καὶ πολλὰ περιττῶς πρὸς τοὺς ἄλλους, μάλιστα δ' ἔνια παραπλησίως τοῖς Λάκωσιν.

I. e. Existimantur autem Carthaginienses etiam recta atque praeclara reipublicae administrandae ratione uti, et plura habere instituta, quae apud alios haud facile invenias; maxime autem quaedam institutis Laconum similia.

Victorius, Lambinus, Ramus, Giphanius, Conringius verba *περιττῶς πρὸς τοὺς ἄλλους* referunt ad insignem Carthaginiensis reipublicae conditionem, qua excellit, si cum aliis comparatur. Eandem sententiam Schlosserus et Garvius amplexi videntur. Sed praeferenda est Aretini versio, etiam Heinsio

et Schneidero probata: „multa habet praeter alias," i. e. plurima habet, quibus carent ceterae civitates.

Haec interpretatio vera est; nam cum Aristoteles praestantiam verbis καλῶς πολιτεύεσθαι iam indicaverit, et, quae habeat Laconicae reipublicae simillima, mox expositurus sit: nihil aliud significare voluit, quam multa in illa reperiri, quae in aliis desiderarentur. Utrum haec sint pulchra, his verbis nondum declaratur: sequentibus autem manifeste demonstratur, quaenam fuerint egregia illa Carthaginiensium instituta, quibus inter alios populos eminuerint. Accurate igitur tria distinguuntur: καλῶς πολιτεύεσθαι, rectam reipublicae gubernandae sequi rationem; περιττῶς πολιτεύεσθαι πρὸς τοὺς ἄλλους, rempublicam habere, in qua inveniantur instituta, quae huic propria sint, si cum aliis conferas; πολιτεύεσθαι παραπλησίως τοῖς Λάκωσιν, uti republica, quae habeat similia quaedam cum Lacedaemonia.

CAPUT SECUNDUM.

Cretensium et Lacedaemoniorum respublica cum Carthaginiensium civitate confertur. Instituta Poenorum probantur. Plato, Strabo, Polybius praeclaram civitatis conditionem testantur. Sanctus Crucius. Manso. Isocrates, Julianus laudantur. Aristotelis silentium de republica Romana.

Αὗται γὰρ αἱ πολιτεῖαι τρεῖς ἀλλήλαις τε σύνεγγύς πώς εἰσι, καὶ τῶν ἄλλων πολὺ διαφέρουσιν, ἥ τε Κρητικὴ καὶ ἡ Λακωνικὴ καὶ τρίτη τούτων ἡ τῶν Καρχηδονίων. Καὶ πολλὰ τῶν τεταγμένων ἔχει παρ᾽ αὐτοῖς καλῶς.

Varr. lectt. Victoriana et Zving. habet: Τῶν Καρχηδονίων; ceterae omittunt τῶν.

Hae enim tres respublicae tum inter se propinquae sunt aliquo modo, tum aliis longe antecellunt: Cretensis (inquam) et Laconica et tertia earum, Carthaginiensis. Et multa eorum, quae constituta sunt apud eos, bene se habent.

Cretensis et Laconicae reipublicae instituta laudat Plato in Republica 1) et in Protagora 2); similitudinem agnoscit in Legibus 3), utramque civitatem ὡς ἀδελφοῖς νόμοις constitutam esse dicens. Similitudinem Laconicae et Carthaginiensis reipublicae confirmat Strabo 4) et Polybius 5); affinitatem vero Creticae et Lacedaemoniae hic non concedit 6). Et profecto, etsi celebrata illa consensio utriusque civitatis formae argumentis Polybii non plane refellitur et tollitur, negari tamen non potest, opinionem eorum, qui magnam similitudinem institutorum in utraque republica intercedere statuant, vehementer minui atque labefactari. Sanctus Crucius 7) copiose quidem de Cretensium legislatione disseruit et multa me-

1) VIII, p. 544. Steph.
2) p. 342.
3) III, p. 683.
4) X, c. 179.
5) VI, 49.
6) VI, 43.
7) Des anciens gouvernements féderatifs et de la législation de Crète, (par Mr. de St. Croix.) Paris 1796.

moratu digna tradidit, sed de hac re non ita instituit quaestionem, ut, quid certi inde colligi posset, in medium proferret, et quae esset summa, acute disputaret. Egregie de hac similitudine tractavit praeclarus Manso 1) et accurate exposuit, in quibus institutis utraque civitas congrueret, aut inter se differret. Praestantiam Carthaginiensis et Lacedaemoniae reipublicae commemorat Isocrates 2) hoc modo: *Ἴσμεν ἔτι δὲ Καρχηδονίους καὶ Λακεδαιμονίους, τοὺς ἄριστα τῶν Ἑλλήνων πολιτευομένους, οἴκοι μὲν ὀλιγαρχουμένους, περὶ δὲ τὸν πόλεμον βασιλευομένους.* Iulianus idem dicit in oratione prima in Constantii laudem scripta 3). Postquam enim de regum et principum educatione multa disseruit, et humanitatem et disciplinam Constantii praedicavit, haec verba addit: *Οὔτε γὰρ Λακεδαιμόνιοι τῶν Ἑλλήνων, οἵπερ δὴ δοκοῦσιν ἀρίστης ἀρχῆς τῆς τῶν βασιλέων μεταλαβεῖν, οὕτω τοὺς Ἡρακλείδας ἐπαί-*

1) Sparta T. 1. Abth. 2 Beilage 6, 7.

2) ad Nicoclen pag. 39. ed. Lang.

3) p. 14. ed. Spanh. Lips.

δενον· οὔτε τῶν βαρβάρων οἱ Καρχηδόνιοι βασιλευόμενοι διαφερόντως, τῆς ἀρίστης ἐπιμελείας τὸν ἄρχοντα σφῶν ἠξίουν. i. e. Neque enim inter Graecos Lacedaemonii, qui optima regii imperii forma usi videntur, ita suos Heraclidas instituebant; neque ex barbaris Carthaginienses, qui praecipuam regni formam adsciverunt, educationi eius, qui ad imperium (i. e. ad Sufetum potestatem) esset evehendus, tanta cura consulebant. — Romanae reipublicae gubernandae rationem Aristoteles ignorasse videtur, aut, si quid ad eius aures pervenerat, non ita cognita habuit Romanorum instituta, ut recte de iis iudicare et cum aliis comparare posset.

CAPUT TERTIUM.

Quieta rerum conditio apud Poenos per multa secula non turbata. Quid significet ἡ πολιτεία ἔχουσα τὸν δῆμον. Aretini versio improbatur. Giphanii, Heinsii, Schlosseri errores. Camerarii, Lambini, Garvii, Schneideri interpretatio. Tres loci Aristotelis laudantur. Substantiva et adjectiva, quibus civitatis forma aliqua significatur. Imperium optimatum et plebeiorum callide institutum. Singularis reipublicae Punicae gubernandae ratio. Malchi, Hannonis, Bomilcaris studium regni affectandi. Gravis locus e Ciceronis Republica nuper a Maio edita. Populi iura non satis apparent ex Graecis et Romanis scriptoribus. Narrationis ambiguitas. Exempla popularis potestatis ex historia afferuntur.

Σημεῖον δὲ πολιτείας (εὖ) συντεταγμένης τὸ τὸν δῆμον ἔχουσαν διαμένειν ἐν τῇ τάξει τῆς πολιτείας, καὶ μήτε στάσιν, ὅ, τι καὶ ἄξιον εἰπεῖν, γεγενῆσθαι μήτε τύραννον.

Argumento autem est, hanc rempublicam bene esse constitutam, quod, cum populum habeat rerum compotem, permaneat tamen in reipublicae descriptione et ordine, neque seditio exstiterit, quae memoratu digna sit, neque tyrannus.

Addidi cum Schneidero εὖ, quia sensus id postulat, et Aretinus ceterique interpretes expresserunt. Facile enim intelligitur, εὖ propter sequens σύν ante τεταγμένην excidere potuisse aut fortasse in σύν latere *)

Vario modo disputatum est, quid significet ἡ πολιτεία ἔχουσα τὸν δῆμον. Contra sensum et verborum structuram Aretinus vertit: „quod populus permaneat in constitutione reipublicae.“ Tum oportebat Aristotelem dicere: τὸ τὸν δῆμον ἔχειν διαμένοντα ἐν τῇ τάξει. Num fortasse ita legerit in codicibus suis Aretinus? Giphanius et Heinsius habent: „licet popularis sit“; sed verbi

---

*) Ὁ Σνεΐδέρος ἐκ μεταφρ. ἀρχ. ὁρμηθεὶς προσέθηκε τὸ ἐπίῤῥημα. ἐχρῆν δὲ καὶ τῶν ἑπομένων ἄρθρων τὸ δεύτερον διαγράφειν. Coraius in Scholiis graecis ad h. l. p. 277.

ambiguitas sententiam magis obscurat quam illustrat. Schlosserus Aretini versione inductus falso interpretatur: „Wenn in einem Staat das Volk an der Verfassung hängen bleibt.“ Assentior Camerario, Lambino, Garvio, Schneidero, qui *πολιτείαν ἔχουσαν τὸν δῆμον* talem esse existimant, in qua populus aliquid iuris potestatisque habeat. Statum reipublicae Carthaginiensis ex aliqua parte popularem fuisse praeter alios hic quoque docet locus, qui princeps habendus est et dux ad explanandos alios, ubi non tam accurate et distincte iudicat philosophus, et contrariam fere sententiam sequi videtur. Leguntur enim Politicorum libro quinto 1) haec: *Ἐν πολλαῖς τε ὀλιγαρχίαις οὐκ ἔξεστι χρηματίζεσθαι, ἀλλὰ νόμοι εἰσὶν οἱ κωλύοντες· ἐν Καρχηδόνι δὲ δημοκρατουμένῃ χρηματίζονται, καὶ οὔπω μεταβεβλήκασιν.* Vides, *Καρχηδόνα δημοκρατουμένην* h. l. nihil aliud significare, quam supra *πολιτείαν τὸν δῆμον ἔχουσαν*, i. e. civitatem, in qua populo iura suffragiorum et concionum con-

1) c. X, 4.

cessa sint. Cum his duobus coniungendus est locus tertius libri quarti 1) ubi legitur: Ὅπου οὖν ἡ πολιτεία βλέπει εἴς τε πλοῦτον καὶ ἀρετὴν καὶ δῆμον, οἷον ἐν Καρχηδόνι, αὕτη ἀριστοκρατική ἐστι. Hic populi mentio fit, et indicatur, Carthaginem esse rem publicam, cui admixta sit popularis quaedam potestas, nomenque aristocratiae propterea ei deberi, quod non divites, sed optimates divites iique populares eligantur 2). Notandum enim est, Aristotelem non dixisse ἀριστοκράτειαν, sed πολιτείαν ἀριστοκρατικήν, i. e. non optimatum imperium, sed rempublicam aristocraticam, quae similitudinem sui ipsius quampiam retineat. Aristoteles enim per adiectiva, quae dominandi ratio-

---

1) c. V, 11.

2) Theodorus Metochita idem dicit: „Καρχηδὼν ἐκείνη πόλις κοινοπολιτείᾳ τὸν ἀριστοκρατικὸν τρόπον βιοῦσα καὶ ἀπὸ βουλευτηρίων, ἀλλ' οὐ μοναρχικοῦ φρονήματος καὶ φιλαρχίας ἑνὸς ἀνδρὸς φλεγούσης εἰς μέγιστα πράγματα, πλεῖστον ἀμέλει χρόνον ἐνασχοληθεῖσα. Vid. Theodori Metochitae Miscellanea philosophica et historica ed. Müller. Lips. MDCCCXXI. Conf. Appendix.

nem significant, (e. c. δημοκρατικὸν, ἀριστοκρατικὸν, τυραννικὸν, ὀλιγαρχικὸν) si cum substantivis coniungantur, quibus etiam forma aliqua imperii indicatur, (e. c. ἀριστοκράτεια, δημοκράτεια) non absolutam eiusmodi imperii definire solet notionem, sed mixtam conditionem et quasi temperatam ea regni forma, quae addito substantivo exprimatur. Sic δημοκράτεια nominatur ἀριστοκρατική, i. e. respublica, in qua populus non omnino rerum potitus sit, sed ab optimatum gubernatione coërceatur, cumque his potestatem aliquam communicet. Simili modo ἡ πολιτεία ἀριστοκρατική h. l. nihil aliud significat, nisi omnium incolarum civitatem, i. e. rempublicam, in qua omnes sunt cives, ideoque omnibus iura quaedam propria debentur, ita tamen, ut in ea ipsa civitate optimates potestate emineant et maximam partem moderentur rempublicam. Itaque prudenter institutum erat, ut cuique ordini civium praecipua quaedam concederentur iura et populi auctoritas aliquid valeret: hanc enim esse caussam Aristoteles existimat, cur Carthaginienses in propria reipublicae conditione manserint, nullaque seditio memoratu digna,

exorta sit, aut tyrannus 1) exstiterit. Tantum enim abfuit, ut Malchi 2) studium rerum potiundi et Hannonis 3) cupido dominatus occupandi civitatem everteret, ut ne graviter quidem eam concuteret: supplicio enim utriusque tyranni quodque seditionis vestigium exstinctum est. Tertium autem exemplum tyrannidis a rege Bomilcare 4)

---

1) Egregie haec confirmantur sequenti loco, qui in Ciceronis Republica nuper a docto Maio edita invenitur p. 176 edit. Tubing. XXIII. Statu esse optimo constitutam rempublicam, quae ex tribus generibus illis, regali et optumati et populari confusa modice, nec puniendo irritet animum immanem ac ferum. — Ita haec verba leguntur in editione Maii. In ceteris edd. hoc fragmentum auctius est et lectionis varietate memoratu dignum. Vid. Cic. Opp. edit. Bipont. Vol. XII, p. 281. Statuo esse optime constitutam rempublicam, quae ex tribus generibus illis, regali, optimo et populari confusa modice, nec puniendo irritet animum immanem ac ferum, nec omnia praetermittendo, licentia cives deteriores reddat.

2) Iustin. XVIII, 7. Oros. 4, 6. a. Chr. 555. —

3) Aristot. Pol. V, 6, 2. Iustin. XXI, 4. Oros. 4, 6. a. c. 337.

4) Iustin. XXII, 7. Diodor. XX, 12. cf. 43. 44.

affectatae Aristoteles afferre non poterat, quod iam decesserat, cum temerario isto conatu civitas aliis malis iam afflicta in novum idque summum discrimen adduceretur. Sed tum quoque permansit in statu suo Carthaginiensium respublica, et tyranno necato et Agathocle interemto eorum opes sunt restitutae, viresque refectae. — Vehementer sane dolendum est, scriptores Graecos et Romanos tam pauca de populi iuribus tradidisse. Praeter Aristotelem Polybius quidem mentionem populi facit, eumque potestate aliqua usum fuisse memorat; in quo autem haec sita fuerit, non declarat. Sed ex Carthaginiensium historia liquet, ante bella cum Romanis gesta aequam proportionem *) et propria iura cuique civium or-

*) Vehementer gravisus sum, hanc sententiam confirmari Ciceronis iudicio. Leguntur enim in Rep. a Maio edita p. 177. haec: Itaque ista aequabilitas atque hoc triplex rerum publicarum genus videtur mihi commune nobis cum illis populis fuisse. Sed quod proprium sit in nostra republica, qua nihil possit esse praeclarius, id persequar, si potero, subtilius, quod erit eiusmodi, nihil ut tale ulla in republica reperiatur. Haec enim, quae adhuc exposui,

dini concessa fuisse et potentiam sapienter distributam inter Sufetes cum suis centumviris et inter reliquam senatus partem et populum *). Utrum hic in regibus et summis ducibus creandis praerogativam auctoritatem habuerit, an cum omnibus civibus communicaverit, ex ambiguis scriptorum narrationibus non satis manifeste apparet.

Ratio vero maxime probabilis, immo fere certa haec mihi videtur. Optimates,

---

ita mixta fuerunt et in hac civitate et in Lacedaemoniorum et in Carthaginiensium, ut temperata nullo fuerint modo. — Haec distinctio reipublicae mixtae et temperatae, si ad Carthaginiensium civitatem referatur, diversa tempora complectitur. Romani enim artibus suis et machinationibus hanc temperationem, quae ante Punica bella tam sapienter et moderate constituta erat, perturbarunt. Quo factum est, ut mixta aliqua conditio oriretur, quae, cum aequabilitate et iusta proportione careret nulloque arcto vinculo contineretur, eo facilius dissolvenda esset.

*) Polyb. VI, 51. *Τὸ δὲ Καρχηδονίων πολίτευμα τὸ μὲν ἀνέκαθέν μοι δοκεῖ καλῶς κατά γε τὰς ὁλοσχερεῖς διαφορὰς συνεστᾶσθαι. Καὶ γὰρ βασιλεῖς ἦσαν παρ' αὐτοῖς, καὶ τὸ Γερόντιον εἶχε τὴν ἀριστοκρατικὴν ἐξουσίαν, καὶ τὸ πλῆθος ἦν κύριον τῶν καθηκόντων αὐτῷ.*

e centum vir municasse; nam ἡ
bant Sufe em populari im-
ad cc Vehementer
cc o cum Matho
datam esse
atis fieba scendi, et
Sufetum et imperat e opor-
hendi essent, viros popula aucto-
acceptos esse oporteret: populu ten-
semper pollere et speciem aliquam ma m
prae se ferre videbatur, si reges et duc
designati gratiae populari commendarentur.
Nullus autem locus invenitur, ex quo accuratius populi iura colligi possint; quamquam Diodori narratio haec probare videatur. Dicit enim, bello cum Agathocle a consilio seniorum Hannonem et Bomilcarem duces designatos esse. Graece 1): *Ἡ γερουσία στρατηγοὺς ἀπέδειξε τῶν δυνάμεων Ἄννωνα καὶ Βομίλκαν.* — *Ἀποδεικνύναι* autem non solum d e s i g n a r e significat, sed populo commendare creatum ducem, ut huic suffragetur. Alter locus 2) testatur quidem,

1) XX, 10.
2) XIII, 43.

Hannibalem creatum esse ducem a principe τῆς γερουσίας et senioribus; sed non satis liquet, utrum horum sententia consiliique auctoritas satis valuerit, an confirmari debuerit in concione. In aliis autem locis eiusdem scriptoris 1) et in Polybio 2) narratio de Carthaginiensibus duces suos eligentibus tam ambigua est, ut populum in eo numero habitum fuisse probabili quidem coniectura concludi, sed non evidenter demonstrari possit. Etenim si Polybius 3) tradit, Hannibalem a civibus (τοῖς πολίταις) electum et ad exercitum missum fuisse: populus quidem hoc nomine comprehenditur, sed peculiaris eius potestas his verbis manifeste non declaratur. Plato 4) rempublicam Carthaginiensem popularem quidem appellat, quod reges apud eos creentur; qui autem hos eligant, propter sermonis ambiguitatem ad liquidum perduci nequit. Verisimile autem est, populum hoc

1) XIV, 54. XV, 15.
2) II, 3. I, 82. I, 25.
3) I, 77. in fine.
4) Diog. Laert. in Plat. §. 82: Πολιτικὴ γάρ ἐστι ἡ πολιτεία τῶν Καρχηδονίων· ἔχει γὰρ βασιλεῖς κατὰ νόμον.

ius cum proceribus communicasse; nam ἡ τάξις πολιτική gubernationem populari imperio mixtam omnino indicat. Vehementer autem mirandum est, in bello cum Matho et Spendio exercitui facultatem datam esse de controversiis inter duces cognoscendi, et Hannonem eius iussu castris excedere oportuisse. Quanti momenti autem populi auctoritas fuerit, Malchi *) cauta prudentia ostendit. Hic enim, quamquam magno cum exercitu urbem expugnaverat et summa rerum potitus erat, nihilo minus tamen populo ad concionem vocato exilii iniuriam questus belli necessitatem apud eum excusavit. Quid? quod magnus Hannibal, cum in patriam redux factus esset, quaestorem importunum in concionem populi subduxit, eumque, nec non ipsum collegium centum virorum apud populum accusavit et, cum orationem secundis auribus accipi animadvertisset, tum demum fretus populari gratia legem promulgavit. Maximam vero auctoritatem obtinebat populus, cum

*) Iustin. XVIII, 7.

Sufetes et senatores rem, in qua deliberanda inter se non convenirent, ad hunc deferrent, eique potestatem facerent, de quibus discreparent, examinandi et, quae placuissent, statuendi. Tantam vero potentiam in aliis civitatibus sui aevi vix notam, nedum probatam esse, declarat Aristoteles.

CAPUT QUARTUM.

Similitudo reipublicae Lacedaemoniae et Carthaginiensis. Phiditia et sodalitia Punica. Οὐ χεῖρον singulari significatione usurpatum. Vulgaris opinio de conviviorum Carthaginiensium ratione refellitur. Auctoris sententia acourate exponitur. Triplex significatio τῆς ἑταιρείας. Aristoteles hoc verbo tantum utitur in descriptione Punicae civitatis. Gravissimus locus ex quinto Politicorum libro explicatur. Peculiaris Carthaginiensium sodalitatum ratio et singulare optimatum consilium. Aristotelis narratio caute examinatur. Dosiades

ex Athenaeo laudatur. Livii locus illustratur. Schlosseri et Ludeni sententia.

Ἔχει δὲ παραπλήσια τῇ Λακωνικῇ πολιτείᾳ τὰ μὲν συσσίτια τῶν ἑταιριῶν τοῖς συσσιτίοις 1), τὴν δὲ τῶν ἑκατὸν καὶ τεττάρων ἀρχὴν τοῖς ἐφόροις πλὴν οὐ χεῖρον. Οἱ μὲν γὰρ 2) ἐκ τῶν τυχόντων εἰσί, ταύτην δ' αἱροῦνται τὴν ἀρχὴν ἀριστίνδην.

Varr. lectt. 1) Aldina: φιδιτίοις. — 2) Deest in Aldina γάρ.

Habet autem Laconicae civitati haec similia: primum sodalitiorum convivia, Phiditiis: deinde magistratum centum et quatuor virorum, Ephoris, et quidem melius. Hi enim e civibus quibuslibet creantur, illi vero in hunc magistratum recipiuntur, si virtutibus excellant.

Duo instituta hoc capite memorantur, de quibus recte iudicare difficillimum est: sodalitia Punica dico et collegium centum et quatuor virorum. In textu graeco verba per se facile intelliguntur. Rarum quidem et insolitum est, πλὴν οὐ χεῖρον usurpare

pro: πλὴν βέλτιον, i. e. nisi quod in melius; apud Aristotelem vero non inusitatum et κατὰ μείωσιν dictum. Eadem voce utitur in libro secundo Politicorum *): Ἡ Κρητικὴ πολιτεία .. ἔχει δὲ μικρὰ οὐ χεῖρον, i. e. habet pauca quaedam meliora. Haec dictio per adiectiva et adverbia negativa cum alia negatione coniuncta vehementer affirmandi ad λιτότητας pertinet. Simili modo apud Atticos οὐχ ἥκιστα saepe sumitur ὑποκοριστικῶς pro μάλιστα, et οὐχ ἧττον pro λίαν, ἄγαν. —

Ἀριστίνδην apud Aristotelem non significat generis nobilitatem, sed animi virtutem. Electione autem Spartanorum saepe factum est, ut homines abiecti et tenues pervenirent ad summos magistratus, e. c. ad ephoratum; qui, cum non haberent, unde viverent, venales fieri coeperunt et auctoritatem muneris post opes habere. —

Transeamus ad priorem partem huius capitis, ad sodalitates (τὰς ἑταιρίας). Simplicissima explicatio haec esse videtur. Dosia-

*) c. 7, 1.

des apud Athenaeum *) de conviviis Cretensium haec habet: *Οἱ δὲ Λύκτιοι συνάγουσι μὲν τὰ κοινὰ συσσίτια οὕτως· ἕκαστος τῶν γινομένων καρπῶν ἀναφέρει τὴν δεκάτην εἰς τὴν ἑταιρίαν καὶ τὰς τῆς πόλεως προσόδους, ἃς διανέμουσιν οἱ προεστηκότες τῆς πόλεως εἰς τοὺς ἑκάστων οἴκους. Τῶν δὲ δούλων ἕκαστος Αἰγιναῖον φέρει στατῆρα κατὰ κεφαλήν· διῄρηνται δ' οἱ πολῖται πάντες καθ' ἑταιρίας, καλοῦσι δὲ ταύτας ἀνδρεῖα.* Perspicuum est ex hoc loco, omnes cives Cretenses fuisse in sodalitates (*ἑταιρίας*) distributos. Itaque eadem vox in descriptione Carthaginiensium nihil aliud significasse videtur, et *τὰ συσσίτια τῶν ἑταιριῶν* sunt convivia seu concoenationes Carthaginiensium civium in sodalitates (*ἑταιρίας*) distributorum, quae cum phiditiis Lacedaemoniorum similitudinem quandam habebant.

Quamvis haec mea explicatio accurate ad verba accommodata sit, ingenue tamen fateor, hanc interpretationem mihi non suf-

*) IV, c. 22. p. 143. Casaub.

ficere et alienam esse a constitutione reipublicae Carthaginiensis. Si quis enim historiam Poenorum attentius legerit, eosque cum Graecis comparaverit; si populi austeros mores et moestum ingenium consideraverit; si navigationis studium, mercatorum et agricolarum occupationem, fabrorum opera, negotiorum et commerciorum rationem, divitum et pauperum conditionem, coeli ardentis naturam et multa alia perpenderit: vix sibi persuadebit, in urbe tam ampla et ingenti, in qua septies centena millia incolarum habitarent, tales concoenationes habitas esse. Hae enim in parva quidem civitate, qualis fuit Cretensis, institui possunt, itidem Lacedaemone, ubi florentissimis reipublicae temporibus civium numerus vix novem millia explevit; non vero Carthagine in tanta hominum frequentia; ideoque tali comparationi vix locus esse videtur.

Ἑταιρία et *ἑταιρεία* varias habet significationes. Primum amicitiam indicat; deinde quamlibet familiaritatem, consortium, sodalitium; denique factiones civiles, coniunctiones clandestinas et publicas ad con-

silia quaedam ad rempublicam pertinentia exsequenda 1). —

Aristoteles non utitur hoc verbo in descriptione reipublicae Laconicae et Cretensis, sed tantum in hac Carthaginiensis civitatis enarratione. Quodsi existimasset eandem conditionem esse sodalitatum Carthaginiensium, quae fuerit Cretensium et Lacedaemoniarum: hoc verbum certe non addidisset philosophus, qui ubique semper nimiam brevitatem sectatur. Itaque discrimen aliquod statuit inter *συσσίτια* sola et inter *συσσίτια τῶν ἑταιρειῶν*. Hoc eo magis elucet, cum quinto Politicorum libro 2) tria distin-

1) Haec triplex verbi vis demonstratur quam plurimis scriptorum locis, e. g. Thucyd. III, 82. Athen. Lib. XIII, 572. B. Aristid. orat. V. T. I. 35. (Reisk.) — Diodor. XIX, 5. 6. Dionys. Halic. Antt. VIII, p. 506. Appian. B. C. III, 75. Plat. in Theaet. p. 162. in Legg. IX, p. 856. in Republ. II, p. 365. Isocrat. de big. 348. A. Steph. Vid. Lobeck ad Sophocl. Ai. 682, p. 322. Diod. Excc. T. II, p. 556. Plutarch. V. Poplic. T. I. p. 108; Pericl. 9. Lysandr. 13. Suidas sub hac voce ed. Kuster. p. 876.

2) c. 9, 2.

guat instituta, quae tyrannidem deprimere et coërcere possint. Verba sunt haec: Oportet tyrannum, si firmum velit reddere dominatum, μήτε συσσίτια ἐᾷν, μήτε ἑταιρείαν, μήτε παιδείαν, μήτε ἄλλο μηθὲν τοιοῦτον. Manifesto hic distinguuntur συσσίτια et ἑταιρεῖαι, quae h. l. non privatas et vulgares familiaritates indicant, sed interiores amicitias, coniunctiones, conventus frequentes, quibus impediri possit, quominus in republica existat tyrannus. Ergo in hac descriptione nostra τὰ συσσίτια τῶν ἑταιριῶν sunt convivia Carthaginiensium, qui vinculo arctiori inter se coniuncti singulare quoddam consilium sequuntur. Cum vero Aristoteles paulo ante dixerit, praeclaris Carthaginiensium institutis effectum fuisse, ut neque seditio oriretur neque tyrannus: quid evidentius est, quam, cum in altero loco 1) τὰς ἑταιρείας ad ea instituta retulerit, quae inimica essent tyrannidi, hanc voculam etiam nostro loco 2) graviorem habere vim et in-

1) V. 9.
2) II, 8.

dicare consociationes, non clandestinas, sed publicas, quibus optimates reipublicae saluti consulerent et tyrannidem atque motus civiles praecaverent. Haec opinio eo magis confirmatur, cum Plutarchus *) aperte dicat, sodalitates Cretensium et Lacedaemoniorum olim fuisse loco conciliorum arcanorum et consessus optimatum. Si igitur sodalitia utriusque populi interdum aliud consilium habuerunt quam communem victum, eorumque conventus saepe habiti sunt ad consultandum de rebus publicis: id eo magis apud Carthaginienses ita fuisse coniici oportet, quod Aristoteles ad singularem rationem Carthaginiensium sodalitatum denotandam *ἑταιρίας* addidit, in quibus h. l. peculiarem significationem inesse demonstravi. — Carthaginiensis autem civitatis forma ita constituta erat, ut optimates quidem dominarentur, sed eorum potestas ut vigeret, po-

*) Symp. VII, quaest. IX. vid. Meurs. Cret. p. 171: *Τὰ γὰρ παρὰ Κρησὶν Ἀνδρεῖα καλούμενα, παρὰ δὲ Σπαρτιάταις Φιδίτια, βουλευτηρίων ἀποῤῥήτων καὶ συνεδρίων ἀριστοκρατικῶν τάξιν ἔσχεν.*

puli gratia opus erat. Plurimi igitur inter-erat procerum, principatum suum stabiliri et impediri, quominus regnum opibus et potentia unius praepotentis viri occuparetur. Quod ne auxilio plebis fieri posset, quae largitionibus et promissis conciliari solet a principibus tyrannidem affectantibus, aemula cura alter alterius mentem explorabat, occulta consilia investigabat et popularis gratiae partem sibi vindicare studebat. Hoc modo non unum populus amplectebatur amore, sed multos, nec unius auctoritas praevalebat, sed multi potestate ita pollebant, ut alter alterius potentiam coërceret et unusquisque partem aliquam plebis sibi devinctam teneret, cuius favore confidere posset. Hanc autem popularem gratiam primores sibi conciliabant familiaritate, blando alloquio, consuetudine, largitionibus, maximeque conviviis, quae optimates amplissimi inter se interiori amicitia coniuncti parabant, ad quae ex singulis tribubus tenues cives saepe vocabant, ut una cum illis coenarent. Has autem concoenationes frequentius sub eo tempore plebis causa habitas esse opinor, cum nova magistratuum creatio appropin-

quaret, aut Sufetes et duces designati populo commendandi essent. Itaque sententia non est: Carthagine fuisse convivia eiusmodi ut Lacedaemone; (hunc enim communem victum apud Poenos in usu fuisse neque ex verbis philosophi, neque ex iis, quae dixi, sequitur) sed similitudo posita est in eo, quod optimates, minime vero cuncti cives, certis diebus cum plebeiorum parte, concoenationes frequentes haberent, quae Spartanorum phiditiis quodam modo (παραπλησίως) conferri possent.

Vehementer igitur differunt convivia Punica a communi Lacedaemoniorum victu, et ad ea instituta Aristocratica pertinent, quibus optimates Carthaginienses usi sunt, ut inter se ipsi arctius familiaritatis vinculum connecterent, de gravissimis rebus publicis inter se deliberarent, dominatum sibi firmarent, unius tyrannidem praevenirent, populi gratiam honesto modo ambirent, cives saepe ad convivia invitarent, et, si magistratum ambituri aut iam designati essent, suffragia et commendationem plebis sibi beneficiis obligatae occuparent. Aristo-

teles *) vituperat convivia Lacedaemoniorum, quod, cum Lycurgus instituta popularia esse ea voluerit, paucorum tamen dominatui faverent. Tenuiores enim, qui sumtum facere nequirent, neque sodalitatum, neque honorum, neque magistratuum participes fieri dicit, sed divites nonnisi divitibus mandare imperia, immo lege cautum fuisse, ne quis ad rempublicam accederet, qui expers esset sodalitatum. Itaque pauperes ad communes epulas non admittebantur, et divites principatum aliquem habebant. Etsi philosophus de hac re non recte disputat et nimis severe iudicat: ex hac tamen opinione (quamquam perversa,) phiditiorum comparatio cum concoenationibus Punicis aestimanda est. Perspicue enim nunc intelligitur causa, cur Aristoteles convivia Carthaginiensium cum Lacedaemoniis componat; apud illos enim plebs quoque ab honoribus excludebatur et sodalitates ad optimates pertinebant, qui certis diebus concoenabant et plebis aliquam partem honoris et ambitionis causa ad haec convivia

*) Polit. II. 6.

vocabant. Manifestum igitur est, cur Aristoteles concoenationes sodalitatum apud Poenos non cum sodalitatibus Cretensium conferat; quamquam virum rerum politicarum tam peritum fugere non poterat, Cretenses in tales *ἑταιρείας*, quas Dosiades apud Athenaeum memorat, distributos fuisse. Sed hanc comparationem, quae tam facile in promtu erat, de industria non instituit, quod discrimen aliquod interesse non ignorabat, ideoque has sodalitates cum phiditiis Lacedaemoniorum contulit, ut caveret, ne quis similitudinem Cretensium et Carthaginiensium inde colligeret. Haec autem convivia in publicis porticibus parata fuisse ex Iustino 1) patet. Has concoenationes (*τὰ συσσίτια τῶν ἑταιριῶν*) Livius intellexisse videtur 2), cum, „Aristonis consilia et colloquia cum hominibus Barcinae factionis, primum in circulis conviviisque 3), deinde in senatu celebrata fuisse“ narrat.

---

1) XXI, 4.

2) XXXIV, 61.

3) Conditio reipublicae Carthaginiensis eo tempore tam angusta et tristis fuit, ut, cum Han-

Haec ratio Carthaginiensium sodalitatum probabilis mihi videtur populi indolem consideranti et significationes tam varias vocis ἑταιρείας perpendenti. Quaecunque harum concoenationum conditio fuerit: in eo tamen omnes fere commentatores consentiunt, sodalitates Poenorum maxime diversas fuisse a phiditiis Lacedaemoniorum. Giphanius *) censet, ἑταιρείας ab Aristotele nominatas esse, quae dicerentur a Romanis collegia, sodalitia, sive tribus, e. c. naviculariorum, pistorum, fabrorum, opificum, mercurialium, fortasse etiam magistratuum. Schlossero haec convivia non quotidiani conventus fuisse videntur, ut Cretensia et Lacedaemonia, sed similitudinem quandam habuisse cum concoenationibus tribuum, sive fabrorum, et cum opificum collegiis medii aevi. Praecla-

---

nibal patria effugisset, laetitiae causa convivia certe habita non sint. Nam „cum Hannibalem profectum esse nunciatum est, non aliter quam si urbs capta esset, omnes trepidavere, exitiosamque sibi fugam eius ominati sunt.“ Vid. Iustin. XXXI, c. 2.

*) v. Comment. ad V, 11 et ad h. l.

rus Ludenus *) convivia utriusque populi vehementer inter se differre et iustae comparationi cum Lacedaemoniis nullum locum esse arbitratur; ingeniosa autem est eius sententia, has concoenationes quotannis eo tempore fortasse magistratuum sumtibus comparatas fuisse, cum nova centum virorum creatio a quinqueviratibus instituenda esset.

CAPUT QUINTUM.

Centum et quatuor viri. Eorum munera et officia. Centum virorum concilium vehementer differt a collegio centum et quatuor virorum. Heerenus et Wachlerus id discrimen animadverterunt. Auctoris argumentatio. Locus Iustini illustratus. Auctoris sententia et demonstratio. Polybii silentium. Causa affertur. Uterque magistra-

*) Allgemeine Geschichte der Völker und Staaten des Alterthums, von H. Luden. Edit. II. Tom. I. p. 152.

tus describitur. Carthaginiensium civitatis amplitudo et singularis conditio. Quando et quam ob rem collegium centum virorum creatum sit, narratur. — Iudices (Schophetim) graviori sensu. Collegium centum et quatuor virorum prius fuisse demonstratur. Quid titulus Schophetim (Iudicum) apud Poenos indicaverit.

Conferuntur etiam hoc loco ab Aristotele centum et quatuor viri cum Ephoris Lacedaemoniorum, qui et reipublicae gubernationem moderabantur, et iurisdictionis munia exercebant. Haec autem iurisdictio unica est causa, cur Aristoteles similitudinem aliquam reperit cum centum et quatuor viris. Paucis enim demonstrabo, summam reipublicae procurationem singulari cuidam concilio, quod centum virorum consilium appellatum sit, administratam fuisse. Vehementer autem miratus sum, omnes fere interpretes inde a Victorio et Hendrico usque ad recentiores hoc collegium centum virorum et concilium centum et quatuor virorum pro uno eodemque habuisse. Dubia non nisi, quantum ego scio,

duumviri praeclari Heerenus 1) et Wachlerus 2) moverunt, sed in descriptione Punicae civitatis ad hanc diversitatem respicere non placuit viris doctis, quod non exstare luculenta documenta videntur, quibus haec differentia confirmetur, quae mihi Aristotelis verba interpretanti et cum aliis locis conferenti omnino certa est atque probata. Hoc enim capite philosophus de centum et quatuor viris loquitur, capite XI. de centum viris; illos cum Ephoris confert, hos singulare quoddam concilium esse dicit, peculiari cuidam consilio constitutum; illos ex viris virtute insignibus (ἀριστίνδην) ab omnibus civibus ex cuncta civitate electos testatur, hos a quinqueviratibus creatos ex senatoribus commemorat; illos simpliciter ἀρχήν appellat, hos cum gravitate τὴν μεγίστην ἀρχήν nuncupat; illos gerere magistratum narrat, non definiens, utrum hic fuerit per-

1) Ideen über die Politik, den Verkehr und den Handel der alten Völker. 3te vermehrte Auflage 1815 2 Th. p. 138. Not. 3.

2) Wachler's Lehrbuch der Geschichte. Zweite verbesserte Auflage. 1820. p. 101.

petuus, an certum tantum tempus duraverit, hos diutius quam ceteros magistratus munere suo functos esse, attamen post aliquod tempus abdicasse declarat. Quum haec indicia ex Aristotele ipso petita et inter se collata sint, optimo iure concludo, diversa haec fuisse collegia, et philosophum evidenter ea distinxisse, cum de centum et de centum et quatuor viris locutus sit. Etenim nimis subtilis est opinio eorum, qui affirmant, Aristotelem brevitatis causa in altero loco centum viros pro centum et quatuor viris posuisse, ut pleno et rotundo numero uteretur. Si tale quid voluisset, cur in loco, de quo disputamus, numerum quatuor addidit philosophus, in verbis semper tam parcus? Praeterea Stagirites non unicus est auctor, qui centum virorum mentionem facit. Iustinus *) quoque de iis memoratu quaedam digna tradit. „At, dixerit fortasse aliquis, praeter Aristotelem nullus scriptor de centum et quatuor viris locutus est“. Ita est! sed praeter Aristotelem nullus etiam reipublicae instituta describere in animo ha-

*) XIX, 2.

buit, et Iustinus quoque centum viros non commemorasset, nisi factum aliquod incidisset, quo Carthaginienses cogerentur, novum hoc concilium centum virorum eligere; ideoque eorum mentio non ad descriptionem civitatis formae, sed omnino ad rerum gestarum enarrationem pertinet. Idem valet de Diodoro, de Appiano et de ceteris historicis. „At Polybius quoque nihil de illis refert; attamen is non solum Carthaginiensium historiam enarrat, sed etiam de eorum reipublicae gubernandae ratione disserit.“ Concedo; sed, ne obliviscantur, qui haec obiiciant, monitos volo, Polybium nihil aliud spectasse, quam conferre Carthaginienses cum Romanis, et ea tantum memorasse, quae ad hoc consilium facerent, omisisseque omnia, quae non aptam praeberent comparandi materiam, potissimum autem ea tantum selegisse, quibus comparatis Romanorum gravitas evaderet illustrior. Similis causa est, cur Livius tam multa aut breviter aut omnino non tangat. Utrumque autem scriptorem bene cognovisse hunc centum virorum magistratum, licet eorum numerum non indicaverit, ex sequentibus ma-

nifeste apparebit. Cum igitur singularia haec sint instituta et accurate distinguenda: eorum officia quoque separentur necesse est, et quaeri debet, quaenam munia singulis explenda fuerint. Secundum Iustini et Aristotelis narrationem centum viri ex senatu a quinqueviratibus eligebantur, ut iudicia de summis ducibus exercerent, reipublicae gubernationem sustinerent, et negotia publica, potissimum externa, administrarent. Sed his muneribus totius civitatis administratio non continetur; restat magna officiorum pars, quae suscipienda sunt a magistratibus in republica bene constituta, et Lacedaemone ab ephoris quoque exercita sunt; civilem iurisdictionem dico. Si frequentiam incolarum Carthaginis cum civium paucitate, quae Lacedaemone erat, (i. e. 9000 Spartanorum cum 700000 Carthaginiensium) contuleris, exiguum ephororum numerum suffecisse non miraberis, quum Lycurgi institutis et communi bonorum distributione multae opportunitates controversiarum praecaverentur, et raro civiles lites disceptandi occasio offerretur. Sed quam diversa fuit Carthaginiensium conditio, quorum magna pars erant ne-

gotiatores, mercatores, agrorum possessores, fabricarum conditores, opifices, publicorum operum redemtores, mercium curatores. Hanc autem negotiorum amplitudinem et frequentiam maiorem numerum litigantium, iudicum, causidicorum, defensorum, recuperatorum desiderare nemo non videt. Itaque opus erat singulari centum et quatuor virorum collegio 1), qui haec iudicia civilia exercerent, et de causis tam publicis quam privatis quaestionem haberent, quarum multitudo tanta erat, ut alios magistratus et publica munera administrare nequirent.

Diversissima autem erat ratio concilii centum virorum, quorum summa cura et officia potissimum versabantur in sustentanda civitatis gubernatione et in propulsandis a republica periculis. Evidenter vero ex historia demonstrari potest, tale consilium apud Carthaginienses institutum fuisse. Cum enim primis temporibus crescentis civitatis Malchus 2) imperator Carthaginiensium, qui ad-

1) Ad hand diversitatem Virgilius spectasse videtur in Aeneid. Libr. I. v. 425. „Iura magistratusque legunt sanctumque Senatum."

2) Iustin. XVIII, 7.

versa fortuna in Sicilia et Sardinia pugnasset, eamque ob causam exsul factus esset, iniuriam sibi illatam vindicaturus cum exercitu urbem cepisset, et interfectis decem senatoribus summo imperio potitus paulo post regnum usurpasset: Carthaginienses intellexerunt, quantum periculum civitati immineret, nisi senatus ducum potentiam coërceret, et in hoc Malcho exemplum severitatis statueret, quo deterrerentur, qui similia consilia adversus patriam agitarent et tyrannidem affectarent. Itaque Malchus gravi supplicio sceleris in patriam perpetrati poenam dedit. In eius locum Mago successit, princeps et auctor praepotentis Magonidarum familiae, cui imperium terra marique per longam annorum seriem mandatum est. Postquam autem familia tanta imperatorum civitati liberae gravis esset omniaque ipsi agerent simul et iudicarent: timor incessit Carthaginienses, ne tempora et tyrannis Malchi redirent. Itaque novum concilium constitui decreverunt *), quod nimiam principum et ducum potestatem coërceret,

*) Iustin. XIX, 2.

et auctoritate sua cogeret, ut moderate imperio militari uterentur, et domi iudicia et leges respicerent. Delecti igitur sunt centum ex numero senatorum, Iudices appellati, qui reversis ex bello ducibus rerum gestarum rationem exigerent, eosque, si quid peccassent, poena afficerent. Facile autem intelligitur his Iudicibus nihil commune fuisse cum magistratu centum et quatuor virorum, qui controversias et lites civiles dirimerent. Nam Iudices nominabantur illi magistratus non sensu vulgari, sed graviori, et singulare quoddam magistratuum collegium, teste Iustino, efficiebant, quod externam gubernationem legibus temperaret, et de summis ducibus iudicaret.

Ex illo autem argumento, quod Magonis filii *) et nepotes domi „neque leges, neque iudicia respicerent", sequitur, iudicia et singulare collegium, ad quod iurisdictio pertineret, iam constitutum fuisse, antequam centum viri crearentur; ergo centum et quatuor viri priores erant centum viris. Hoc autem concilium tam prudenter insti-

*) Iustin. XIX, 2.

tutum, quod per aliquot secula libertatem civitatis sustentabat et tyrannidem praeveniebat, transgressum tandem est iustos fines, et omnem fere potentiam post primum Punicum bellum sibi arrogavit, et Hannibalis aetate tanta licentia grassatum est, ut reipublicae gubernatio abolita ferme videretur. Livius 1) de his ita tradit: „*Iudicum* (i. e. centum virorum) ordo Carthagine ea tempestate dominabatur; eo maxime, quod iidem perpetui iudices erant. Res, fama vitaque omnium in illorum potestate erat. Qui unum eius ordinis, idem omnes adversos habebat; et prae eorum superbia atque opibus nec *leges* quidquam erant, nec *magistratus*."

Probabilis autem ratio, cur centum viri *Iudices* κατ' ἐξοχήν appellati sint, haec mihi videtur. Inter omnes constat, voce שופטים, Schophetim, (Sufetes) proprie *Iudices* significari, et non solum apud Hebraeos, sed apud Phoenices quoque civitatis principes hoc nomine designari, et ab Iosepho 2) Tyriorum principes et duces nominari Δι-

1) XXXIII, 46.
2) contr. Apion. I, 2.

καστάς. Cum autem Sufetes haec officia tam difficilia et molesta de summis ducibus iudicandi soli exercere non possent, quid manifestius est, quam, cum senatus ex suo coetu centum viros in hunc finem elegisset, et Sufetes huic concilio quoque praeessent, hoc collegium „Iudicum ordinem“ dictum esse, quod centum viri una cum Sufetibus (i. e. Iudicibus) iudicarent. Nomen Iudicum sine dubio ad centum viros transiit, quod cum Sufetibus hanc potestatem iudicandi et de ducibus cognoscendi communicarent. Haec est sine dubio causa, cur Graeci scriptores hoc collegium τῶν שופטים consessum τῶν Δικαστῶν, nominaverunt et Romani hunc magistratum ordinem Iudicum appellaverunt. Utroque enim verbo vocabulum illud Punicum exprimitur.

CAPUT SEXTUM.

Conferuntur reges et seniores Lacedaemoniorum et Carthaginiensium. Spartanorum creandi ratio vituperatur, Carthaginiensium probatur. Difficilis huius loci interpretatio. Commentatorum errores. Vetus Aristotelis Interpres et Aretinus aliam lectionem secuti. Conringius locum mendosum putat. Schneiderus assentitur. Heinsii falsa interpretatio. Schneideri opinio et coniectura. Coraii idem iudicium. Auctor sententiam duumvirorum examinat, refellit; suam defendit. Schneiderus denuo redarguitur. Lectio μήτε - μήτε improbatur et contradictio demonstratur. Victorii versio laudatur. Ἡλικία quid h. l. significet. Aristotelis argumentandi ratio explicatur. Vocabulum εὐτελής h. l. singularem vim habere contra Schneiderum disputatur. Ex Lacedaemoniorum historia multa exempla afferuntur ad Schneideri errorem convincendum.

Τοὺς δὲ βασιλεῖς καὶ τὴν γερουσίαν ἀνάλογον τοῖς ἐκεῖ βασιλεῦσι καὶ γέρουσι. Καὶ βέλτιον δὲ 1), *τοὺς βασιλεῖς μήτε κατὰ τὸ αὐτὸ εἶναι γένος, μηδὲ* 2) *τοῦτο τὸ τυχόν. εἰ δὲ* 3) *διαφέρον* 4), *ἐκ τούτων αἱρετοὺς μᾶλλον* 5) *ἢ καθ' ἡλικίαν· μεγάλων γὰρ κύριοι καθεστῶτες, ἂν εὐτελεῖς ὦσι, μεγάλα βλάπτουσι καὶ ἔβλαψαν ἤδη τὴν πόλιν τὴν τῶν Λακεδαιμονίων* 6).

1) Hoc loco omnes edd. punctis non distinguunt.

2) Aldina: *μὴ δὲ*. Schneideriana ex coniectura: *μήτε-μήτε*. Itidem Coraius.

3) *εἴτε* habent: Aldin. Camot. Basil. Victorius legit: *εἰ δέ τι*. Aretinus legit: *εἴ τε*. Vetus Interpres: *ἀλλά*, quem secutus est Coraius.

4) Omnes edd. post *τὸ τυχόν* delent interpunctionem, et post *διαφέρον* punctis notant.

5) Aldina et Basil. non habent *μᾶλλον*.

6) Vetus interpres et cod. Sylburgii legit: *Καρχηδονίων*.

Habet autem respublica reges et senatum, qui respondent regibus et senatoribus Lacedaemoniorum. Et quidem melior apud eos est eligendi ratio, quod reges creant neque ex uno eodemque genere, neque tamen ex quolibet fortuna oblato. Si qua gens

autem est praeclara, ex hac potius eos deligunt, quam quod aetatem sequantur. Nam illi magnarum rerum domini effecti, si humili sint animo, magna detrimenta afferunt, et iam attulerunt civitati Lacedaemoniorum.

Hic locus vehementer vexavit interpretes, qui omnes de obscuritate et vitiosa verborum structura queruntur. Prior sententia nullum facessit negotium. Aristoteles dicit, similitudinem quandam esse inter reges et senatores Carthaginiensium et Lacedaemoniorum. Sed, quae sequuntur, difficillima sunt. Aretinus interpretatur: „melius autem, quod reges non secundum genus, neque id temere, sed si quid praestantius est eorum, qui eliguntur, quam quod affinitas afferat aut aetas.“ Igitur cognationis nomen inseruit et legit: *ἢ κατὰ συγγένειαν ἢ καθ' ἡλικίαν*. Vetus Interpres ita habet: „et melius autem reges neque per se esse genus neque hoc contingens, sed quod differens, ex iis eligibiles magis quam secundum aetatem.“ Legit igitur non: *εἴτε διαφέρον*, sed potius: *ἀλλὰ τὸ διαφέρον*. Longum est ex apparatu critico ceterorum com-

mentatorum interpretationes eruere, quas Schneiderus maximam partem in adnotationibus excerpsit, diiudicavit, recensuit. Aldina omittit *μᾶλλον*, quo sensus magis perturbatur. Conringius locum mendosum esse et voculam unam alteramve excidisse opinatur: nam „verba *εἴτε διαφέρον* cum sequentibus non cohaerere, nec sequentia ad reges, sed potius ad senes aut senatores Carthaginiensium referenda esse censet, idque ex Lacedaemoniorum adducto exemplo probari; apud hos enim senatores ex infimo ordine creatos fuisse, qui deinde saepe reipublicae vehementer nocuissent; aliam vero esse rationem Carthagine; senatores enim electos fuisse non aetatis ratione habita." Schneiderus assentitur Conringio et demonstrare conatur, neque verba *καθ' ἡλικίαν αἱρετούς*, nec: *ἂν εὐτελεῖς ὦσι*, neque: *καὶ ἔβλαψαν ἤδη* etc. in reges Lacedaemoniorum congruere. Explicationem Heinsii, qui *ἡλικίαν* de regum Spartanorum filio natu maximo dictam esse putat, vir doctus reiicit, quod graece ita dici non possit, sed potius *κατὰ πρεσβείαν*, *πρέσβιν*, *πρεσβύτητα* vel *πρεσβυγένειαν*; deinde contendit, *εὐτελής* de vir-

tute simpliciter nusquam dici, sed de statu et conditione hominis vel plebeii vel pauperculi; denique declarat, nullum exstare exemplum regum Lacedaemoniorum, nullumque a philosopho esse commemoratum, quo reges propter εὐτέλειαν (?) publicum commodum prodidisse videantur; comparationem igitur claudicare et vitium residere in verbis posterioribus, quae vulgo ad reges referantur, cum ea potius ad senatores Carthaginienses referri oporteat; et quoniam in textu eorum mentio non fiat, verba aliqua excidisse aut corrupta esse concludit. Cum vero editiones nullam opem ferant, omnem spem medelae in sola coniectura repositam esse arbitratur, quae, etiamsi minus feliciter verba ipsa consequatur, a sensu tamen, quem Aristoteles exprimere voluerit, vix aberrare possit. Periclitatur autem vir venerabilis ita: *Καὶ βέλτιον δὲ τοὺς βασιλεῖς, τῷ μήτε κατὰ τὸ αὐτὸ εἶναι γένος, μήτε τοῦτο τὸ τυχόν· τοὺς δὲ γέροντας τῷ αἱρετοὺς μᾶλλον ἢ καθ' ἡλικίαν*: aut propius ad scripturam, quam habet vetus interpres supra laudatus: *ἀλλὰ τοὺς γέροντας*. In verbo *διαφέρον* senes (*γέροντας*) abscon-

ditos hucusque delituisse, et hac sua coniectura et mutatione (*διαφέρον* in *γέροντας*) comparationem utriusque membri perfectam esse putat. Doctus Coraius hanc coniecturam Schneideri, quam in commentario proposuit, secutus *γέροντας* in textum recepit. Ingeniosa autem est ratio huius loci emendandi, qui in Parisiensi editione ita legitur: *Τοὺς δὲ βασιλεῖς καὶ τὴν γερουσίαν ἀνάλογον τοῖς ἐκεῖ βασιλεῦσι καὶ γέρουσι· καὶ βέλτιον δὲ, τῷ τοὺς βασιλεῖς, μήτε κατὰ τὸ αὐτὸ εἶναι γένος, μήτε τὸ τυχὸν, ἀλλὰ διαφέρον, τοὺς δὲ γέροντας αἱρετοὺς μᾶλλον ἢ καθ' ἡλικίαν.* Quae emendatio, si cum textu, quem Schneiderus exhibuit, et cum eius coniectura comparatur, hanc offert differentiam. Coraius post *βέλτιον δὲ* interpunxit, *τῷ* inseruit, *ἀλλά* pro *εἴτε* posuit, *μήτε-μήτε* contra omnem librorum auctoritatem ut Schneiderus probavit, *διαφέρον* loco suo non movit, *ἐκ τούτων* delevit et in *τοὺς γέροντας* mutavit. In Scholiis graecis p. 278. dicit: *Ὁ νοῦς, Τὰ περὶ τοὺς βασιλεῖς καὶ τὴν γερουσίαν βέλτιον τέτακται παρὰ Καρχηδονίοις ἢ παρὰ Λάκωσι· αἱροῦνται γὰρ οἱ Καρχηδόνιοι τοὺς μὲν βα-*

σιλεῖς οὐκ ἐκ τοῦ αὐτοῦ μὲν γένους, ὥσπερ οἱ Λάκωνες (παρ' ἐκείνοις γὰρ Ἡρακλείδας εἶναι νενόμιστο τοὺς βασιλεύοντας), διαφέροντος μέντοι γένους καὶ οὐ τοῦ τυχόντος· τοὺς δὲ γέροντας αἱρετοὺς ἐκ τῶν ἀρίστων μᾶλλον, ἢ καθ' ἡλικίαν, ὡς παρὰ Λάκωσι. —

Dura videtur haec emendatio duumvirorum praeclarissimorum, quae ab Aristotelis dicendi usu abhorreat et omnino necessaria non sit. Quid enim profecerunt? Sensum mutarunt, quem mutari opus non est, cum Aristotelis sententia perspicua sit, dummodo lectio vulgata recte explicetur. Quodsi enim eruditus Coraius post *βέλτιον δέ* interpungit, inserto *τῷ* nihil aliud indicare voluit quam causam sive respectum, cur melior fuerit apud Carthaginienses duplex illa Sufetum et seniorum creandorum ratio. Fac autem eiusmodi coniecturam omnino desiderari (quod non ita esse sequentibus evidenter demonstrabo) et textum haud alio modo explanandum esse quam *γέροντας* alteri orationis membro inseri posse: Schneiderus sine dubio melius fecit, quod in altero membro *τῷ* repetiit, quoniam iterato *τῷ* haec duplex ratio manifestius decla-

ratur. Sed ex vulgata lectione apparet Infinitivum τοὺς βασιλεῖς μήτε τὸ αὐτὸ γένος εἶναι pendere a βέλτιον δέ, et esse Infinitivum subiectivum aut (utraque enim ratio probari potest) respectivum. Aristoteles de industria non posuit βέλτιον δὲ κατὰ τοὺς βασιλεῖς μήτε κατὰ τὸ αὐτὸ εἶναι γένος, quoniam saepissime Infinitivum respectivum omisso κατά usurpare solet, et propter sequens κατά in hac propositione molestum esset duplex κατά legi. Miror cur doctis duumviris, si quidem emendatio necessaria iis videretur, non placuerit scribere: βέλτιον δὲ, τὸ μὲν τοὺς βασιλεῖς — εἶναι, τὸ δὲ γέροντας αἱρετούς sc. εἶναι. Sed emendatione profecto opus non est, et vulgaris lectio facilis intellectu, dummodo recte punctis distinguatur. Βέλτιον δὲ, (sc. ἐστί) τοὺς βασιλεῖς μήτε κατὰ τὸ αὐτὸ εἶναι γένος, (infinitivus subiectivus) μηδὲ (haec est omnium librorum lectio et certe vera) τοῦτο τὸ τυχόν. Multa exempla afferre possim ad hanc constructionem, quae saepissime apud Aristotelem redit, probandam et contra emendationes virorum doctorum defendendam; sed res per se est perspicua et nonnullis

locis laudandis hic usus subiectivi et respectivi Infinitivi apud Aristotelem tam frequens satis confirmabitur: Arist. Polit. II, 6, 11. *Βέλτιον ἦν μηδὲ μίαν ἢ ὀλίγην ἢ καὶ μετρίαν τετάχθαι*. Lib. II, 6, 12. *Βέλτιον τὸ διὰ τῆς κτήσεως ὡμαλισμένης πληθύνειν ἀνδρῶν τὴν πόλιν*. Lib. II, 6, 18. *Βέλτιον αὐτοὺς μὴ ἀνυπευθύνους εἶναι*. Infinitivus, qui ab adiectivis pendet, et subiecti instar positus est aut respectum indicat, in hoc commentario tam frequenter usurpatur ab Aristotele, ut hoc ipso capite in quavis fere verborum continuatione nobis occurrat. En exempla! L. II, 8, 7. *Βέλτιον δὲ — ἀρχόντων ἐπιμελεῖσθαι τῆς σχολῆς κ. τ. λ.* §. 6. *Φαῦλον τὸ τὰς μεγίστας ὠνητὰς εἶναι τῶν ἀρχῶν* §. 4. *Τὸ δὲ τὰς πενταρχίας — ὑφ' αὑτῶν αἱρετὰς εἶναι, τὴν μεγίστην ἀρχὴν αἱρεῖσθαι, ἔτι ταύτας πλείονα ἄρχειν χρόνον — ὀλιγαρχικόν ἐστι.* Ibid. *Τὸ δ' ἀμίσθους καὶ μὴ κληρωτὰς εἶναι — ἀριστοκρατικὸν θετέον*. §. 5. *Τὸ μὲν αἱρεῖσθαι πλουτίνδην — ὀλιγαρχικόν — τὸ δὲ κατ' ἀρετὴν αἱρεῖσθαι — ἀριστοκρατικόν*. §. 7. *Εθίζεσθαι δ' εὔλογον* §. 8. *Φαῦλον δ' ἂν δόξειεν εἶναι καὶ τὸ πλείους ἀρχὰς τὸν αὐτὸν ἄρχειν*.

Ibid. *Πολιτικώτερόν ἐστι πλείονας μετέχειν τῶν ἀρχῶν.* Cum igitur tales infinitivi in hac ipsa reipublicae Punicae descriptione tam frequenter inveniantur, eandem verborum structuram etiam nostro loco adhibitam esse recte concluditur, praesertim cum lectio vulgata eam exhibeat. Scripsit profecto Aristoteles: *Βέλτιον δὲ, τοὺς βασιλεῖς μήτε κατὰ τὸ αὐτὸ γένος εἶναι κ. τ. λ.* Infinitivum cum *τῷ* usurpat philosophus inprimis, si instrumentum sive effectus aliquis indicatur, ut in nostra hac descriptione §. 9. *Ἐκφεύγουσι (οἱ Καρχηδόνιοι τούτων κινδύνων) τῷ πλουτίζειν ἀεί τι τοῦ δήμου μέρος.*

Haec sufficiant ad meam explicationem confirmandam et ad argumenta defendenda, quibus permotus duumvirorum praeclarissimorum emendationem simplici meae interpretationi non praeferendam duxi. Eruditus Coraius hanc coniecturam in textum recepit, quod tamen Schneiderus, quamvis verba, ut vulgo leguntur, mendosa putaret, facere dubitavit, nec sibi quidquam licere existimavit, nisi ut *μήτε-μηδέ* mutaret in *μήτε-μήτε.* Sed ex hac emendatione apparet virum venerabilem transtulisse in

verba sensum philosopho plane alienum. Hac ex mutatione error mihi quoque ortus videtur totiusque loci falsa interpretatio et querela de sermonis depravatione atque obscuritate.

Equidem non video, Aristotelis elocutionem tam brevem, concisam et haud raro tam contortam considerans, quae sit causa, cur hunc locum laborare dicam vitiosa verborum structura atque sententiarum serie tam interrupta, ut aliquid supplendum sit. Aristoteles nihil aliud declarare vult quam hoc: „similitudo quaedam est inter reges et senatores utriusque populi; sed Carthaginienses meliorem rationem in creandis regibus sequuntur, cum hos neque ex eodem genere eligant, neque etiam ex quolibet, ut alii populi; si autem insignis aliqua inter eos reperiatur familia, ex hac reges potius propter virtutes eligunt *), quam ut ad aetatem respiciant, sicut Lacedaemonii, qui mortuo rege filium natu maximum creant.“

*) Hoc testatur Herod. VII, 166. *Ἀμίλκας βασιλεύσας κατ᾽ ἀνδραγαθίην Καρχηδονίων.* Idem refert Diod. XI, 20.

Haec sententia est perspicua et ad verba accommodata. Postquam enim Aristoteles communem similitudinem regum et senatorum utriusque populi universe indicavit, praestantiam aliquam, quae ad creationem Carthaginiensium regum adtinet, descriptioni adiungit et tunc ad alia transit. Quo argumento autem probari potest, unam alteramve voculam in altera propositionis parte et quidem post τὸ τυχὸν excidisse, et in verbis εἴτε διαφέρον senatores (γέροντας) latere? Concedi quidem oportet, si contra omnium codicum et editionum auctoritatem Schneiderus μήτε-μηδέ in μήτε-μήτε mutet, tunc omnia incerta atque obscura fieri et historiae testimoniis contradici, tunc omnino supplendam, immo etiam mutandam esse alteram periodi partem. Nam μήτε-μήτε duas propositiones reddit aequales, ita ut utraque eandem habeat vim, ut apud Latinos neque-neque, et sensu affirmandi tum-tum. Igitur utraque propositio, si ad Lacedaemoniorum reges ex hac emendatione referatur, ineptam sententiam complectitur, quia asserit, quod nunquam factum est. Si enim Carthaginienses neque unum, ne-

que alterum fecerint ut Lacedaemonii, hos utrumque fecisse recte concluditur; ergo Lacedaemonii creaverunt reges et ex una gente insigni et etiam ex quolibet genere. Haec sibi repugnare neminem fugit. Illud quidem Spartani fecerunt; hoc minime in eos cadit. Lacedaemoniorum enim reges semper ex uno eodemque Heraclidarum genere creabantur iure haereditario, nunquam ex quolibet, sed filius natu maximus post obitum patris in regnum succedebat. Perspicua autem est sententia, si μήτε-μηδέ servatur; ita enim in codicibus et in omnibus libris editis legitur. Aristoteles duplici modo laudat praestantiam consilii et instituti, quo utuntur Carthaginienses in eligendis regibus: primum, quod non semper ex eodem genere reges creent, ut Spartani, deinde, quod etiam non ex quolibet fortuna oblato genere eos eligant, ut plures alii populi. Quis autem sibi persuaserit, Aristotelem in hac altera propositionis parte etiam de Lacedaemoniis dicere? Recte et manifeste verba μήτε-μηδέ (neque-neque etiam, neque tamen) hanc propositionis disiunctionem indicant et aperte testan-

tur, de diversis institutis sermonem esse, quorum alterum ad Lacedaemonios, alterum ad alios populos pertineat. Simili ratione Victorius haec intellexisse videtur; vertit enim: neque ex eadem familia, neque tamen ipsa qualibet. Hic autem interpres maximam habet auctoritatem; nam si quis est inter commentatores, qui Aristotelem recte intellexerit, is profecto fuerit Victorius. Aliam difficultatem afferunt verba καϑ' ἡλικίαν αἱρετούς. Heinsius ius natu maximorum intelligi putat. Schneiderus contradicit, nullumque Graecorum scriptorum de nativitatis iure ita loqui censet, et hoc loco de senectute dici opinatur. Hic mihi praeiudicata opinio virum venerabilem fefellisse videtur; constanter enim contendit, Aristotelem voluisse aut debuisse de Senatoribus Carthaginiensium dicere, ut oppositio quaedam et comparatio inter hos et Senatores Spartanos efficeretur. Hi senes nominabantur, ergo Carthaginienses eadem aetate esse oportebat, ergo ἡλικία senectutem indicat, ergo mutandum est διαφέρον in γέροντας; ergo omnia erunt plana! Ita Schneiderus argumentari mihi visus est.

Sed vereor, ne sententiae obscuritas et interpretationis difficultas virum doctum ad violentam istam emendationem a Coraio quoque probatam compulerit, cum alia ratione hunc locum explanari posse desperaret.

Num vero ἡλικία de sola senectute dicitur? Nonne significat cuiusque aetatis tempus? nonne eodem iure pueritia, adolescentia ἡλικία nominatur? nonne ἡλικιῶται sunt aequales? Quodsi haec mecum perpendo, Aristotelis sententia facile ita colligenda est: licet recte institutum sit et vulgari opinione sancitum, certam aetatem desiderare ad obtinendos magistratus quosdam, optimeque ab iis administrari civitatem, qui senes iam facti sint: frequenter tamen contraria ratio maiora praebebit commoda, et saepe melius consuletur civitati regulae exceptione quam anxia eius observatione. Qua de causa Carthaginienses sapientius Lacedaemoniis fecerunt, quod non ad solam aetatem, quae regiae dignitati ex vulgari opinione conveniret, i. e. ad senectutem respicerent, sed ad virtutes, quibus praeditos esse oporteret viros ex familia oriundos, quae factis, gloria et honestate emineret.

Hi creabantur, sive essent iuvenes *), sive aetate provectiores. — Quum igitur neque de aetate natu maioris filii, neque de senectute sermo sit, negari tamen non potest, de aetate universe dici, et quum non de senatoribus, sed de regibus Carthaginiensium agatur, etiam ad hos τὴν ἡλικίαν pertinere patet. Ex amplissimis enim gentibus Sufetes et imperatores deligebantur, et quamdiu in eadem familia viri facultatibus et virtutibus insignes existerent, creabantur nulla aetatis et iuris succedendi ratione habita. Filius igitur Sufetis, vita defuncti, patrem in imperio exciperet necesse non erat, sed is, qui inter omnes eiusdem stirpis virtute maxime excelleret et populo acceptus esset. Hoc consilium tam sapienter institutum etiam impedivit, quominus post Sufetis mortem is in imperio sequeretur, qui in hac familia mortuo Sufeti aetate proximus esset; quod tunc demum fieri licebat, si idem cunctos praestaret bona mentis indole. Ubi vero in gente illustri nullus amplius inveniebatur,

---

*) Hannibal Magnus anno vicesimo secundo rex factus est. Vid. Nepot. in Hannib. c. 7.

cuius egregia virtus eniteret, ut hoc imperio digna haberetur, tunc ex alia familia praeclara creabatur vir morum gravitate et ingenii dotibus conspicuus, sive senex esset, sive adolescens.

Ex omnibus his facile intelligitur, Aristotelem hoc loco non de Carthaginiensium senatoribus, sed de regibus locutum esse. At, vox εὐτελής repugnat omnibus, quae de regibus disputasti, dixerit fortasse aliquis Schneidero assentiens, qui εὐτελεῖς ad homines pauperculos, non ad illustres, referri iubet. Errare mihi videtur vir aestumatissimus, quod εὐτελεῖς ad solam generis obscuritatem et ad egestatem, ideoque ad Senatores (qui profecto non omnes pauperculi erant!) Lacedaemoniorum pertinere putet, cum tamen neque notio verbi neque derivatio hanc unicam significationem confirmet. Εὐτελής appellatur, qui tenui victu vitam sustentat. Hoc praecipue in pauperes et ignobili loco natos cadere non nego, attamen εὐτελής non absolute pauperem indicat. Εὐτελεῖς dicuntur etiam res et merces, quae exiguo pretio emantur, ideoque facile acquiri possint; ex quo oritur nova verbi notio; rara quidem,

sed a Grammaticis probata. *Εὐτελὴς ἀνὴρ* nominatur, qui aut exigui aut nullius est pretii, vir mediocris ingenii, vir vulgaris non genere sed animo, vir levis, vilis, qui caret gravitate et mentis excelsitate. Itaque haec verbi potestas ad ingenium, ad mores et animi humilitatem referenda est, quae perinde in amplissimis ac in pauperibus viris reperitur. Hanc significationem Timaeus quoque agnoscere videtur, qui plures locos e Platone laudat, in quibus vox *φαῦλος* inveniatur, qua non solum res viles, sed etiam homines abiecti, rudes, imperiti, inhumani declarentur. Verbo *εὐτελής* autem saepe eandem inesse vim, quam vocabulo *φαῦλος* docet, et alterum per alterum explicat. Omnia vero, quae diximus, ut demonstraremus, de regibus tantum agi et de eorum humilitate animi, qua saepe respublica in discrimen vocata sit, (*μεγάλα ἔβλαψαν*) omnino confirmantur ab Aristotele ipso, ideoque vera ratio expositionis nostrae vehementer probatur. Philosophus enim in descriptione reipublicae Laconicae *) inter

*) II, 6, 14.

alia, quae maxime vituperanda sint, etiam narrat, ephororum potentiam, qui tyrannorum instar imperarent, ita crevisse, ut reges Spartani eorum benevolentiam blanditiis et assentatione sibi conciliare atque aucupari usque adeo cogerentur, ut respublica detrimento afficeretur. Graece: *Καὶ διὰ τὸ τὴν ἀρχὴν εἶναι λίαν μεγάλην καὶ ἰσοτύραννον, δημαγωγεῖν αὐτοὺς ἠναγκάζοντο καὶ οἱ βασιλεῖς· ὥστε καὶ ταύτῃ συνεπιβλάπτεσθαι τὴν πολιτείαν.* Vides, Aristotelem eodem ipso verbo *βλάπτειν* usum esse. Ista igitur animi humilitas appellatur *εὐτέλεια*, et ad plura regum vitia est referenda. Nonnulli enim, immemores nobilitatis et servili animo indulgentes, non solum ephororum gratiam et plebis favorem sectabantur, sed etiam pravis factis et consiliis civitatis salutem prodere conabantur *).

---

*) Idem est Ciceronis iudicium, (de Republ. ed. Tubing. p. 178.) Qui egregie de hac regia potestate et de periculis disputat, quae ex ea oriantur, si indigni ad hoc imperium accedant. Verba eius haec sunt: Nam in qua republica est unus aliquis perpetua potestate, praesertim regia, quamvis in ea sit et senatus,

Itaque satis mihi demonstrasse videor, τὴν εὐτέλειαν de moribus dici posse, et hanc significationem toti sententiarum nexui consentaneam esse eoque confirmari. Praeterea Aristoteles multis verbis abundat, quibus singularis quaedam vis subesse solet a vulgari sensu recedens, ita ut philosophus ex se ipso tantum et ex sententiarum nexu explicari debeat, et saepe vera significatio magis divinanda quam ex aliis locis petenda iisque probanda sit. Fac autem, hanc vocem plane abhorrere a sensu, qui desideretur, et emendatione opus esse: ego profecto non coniicerem, vitium in verbis εἴτε διαφέρον latere, sed quaererem potius in verbo ipso εὐτελής, in cuius locum substituerem aliud sensui respondens. Nullum autem adiectivorum, quae cum εὖ com-

---

ut tum fuit Romae, cum erant reges; ut Spartae Lycurgi legibus; et ut sit aliquod etiam populi ius, ut fuit apud nostros reges; tamen illud excellit regium nomen; neque potest eiusmodi respublica non regnum et esse et vocari. Ea autem forma civitatis mutabilis maxime est hanc ob causam, quod unius vitio praecipitata in perniciosissimam partem facillime decidit.

posita sunt, ad sensum tam prope accedit, quam εὐηθής, quod Ruhnkenius in Timaei Lexico 1) explanavit, et de homine fatuo et stupido dici ostendit. Simili modo, et fortasse melius ἀηθής coniecturari possit, quo Aristoteles saepe in doctrina morum utitur ad hominem nullius constantiae atque gravitatis describendum. Non difficile foret ex Lacedaemoniorum historia reges aliquot afferre, qui tali animi humilitate erant, ut rempublicam damno afficerent. Sed ante omnia coniecturam proponerem ex ipsis his Aristotelis libris politicis depromtam. In quinto libro 2) numerat philosophus inter vitia, quibus gubernatio quaevis perverti atque labefactari possit, vitam luxuriosam et vulgare ingenium eorum, qui rempublicam moderentur. Utrumque exprimit verbis ἀσελγεῖς εἶναι et ἀσελγῶς ζῆν. Quid? si etiam nostro loco pro: ἂν εὐτελεῖς ὦσι legamus: ἂν ἀσελγεῖς ὦσι, aut: ἂν ἀσελγῶς ζῶσι? Nam ἀσελγής non solum vitam libidinosam, sed etiam morum pravitatem et

1) p. 132.
2) c. 4. et 5.

licentiam designat. Omnes autem hi conatus supervacanei sunt, quia locus sanus est, et mea interpretatione omnis obscuritas tollitur. Addidi haec modo, ut ostenderem, in quibus verbis, si lectio interpolata esset, vitium resideret.

Quae cum ita sint, non difficile erit, opinionem Schneideri redarguere, qui emendationem ex ea causa etiam necessariam putat, quod nullum regum Lacedaemoniorum exemplum exstet nec a philosopho allatum sit, quo probetur, reges propter εὐτέλειαν publicum commodum prodidisse. Cum vir doctus τὴν εὐτέλειαν ad generis obscuritatem et ad paupertatem referendam esse censeat, miror, cur hoc inani argumento utatur ad suam opinionem confirmandam. Cum enim n u n q u a m Lacedaemoniorum reges ex obscura gente nati crearentur, sed semper ex Heraclidarum illustri stirpe: fieri quoque non poterat, ut exemplum aliquod inveniretur, quo probaretur, reges Spartanos reipublicae nocuisse, quod ex ignobili familia orti essent. Itaque quod non exstitit et nunquam fieri poterat, Schneiderus commemorare nullo pacto debuerat

ad suam opinionem probandam, quae tamen hoc vano argumento potissimum nititur. Si vero ad ea respexisset, quae Aristoteles de regibus libro secundo 1) dixerat, de eorum εὐτελείᾳ non dubitavisset. Manifesta enim in Lacedaemoniorum historia repeeriuntur documenta, ex quibus patet, reges, si vulgari ingenio indulgerent, vehementer rempublicam perturbasse. Constat enim, inter hos reges a civitatis primordiis aemulationem quandam et studium suis commodis consulendi ortum esse. Plutarcho teste 2) Eurypon rex nobilitatem generis et animi non servavit, quippe qui regiae potestati obtrectaret et auram popularem captaret. Quo facto imperii et legum dissolutio, reipublicae perturbatio et populi licentia in dies ita crescebat, ut regibus subsecutis frequenter opportunitas afferretur in alterutram partem peccandi, et modo severitate odium plebis sibi contraherent, modo ex indulgentia et imperii laxitate auctoritatem deminuerent. Leoty-

1) 6, 14.

2) in Lycurgo 2. 3. 4.

chides 1) ex vehementi regnandi cupiditate cum Cleomene se coniunxit ad Demaratum regno privandum, et postea omnem honestatis sensum ita abiecit, ut ab Aleuadis dona acciperet, quibus corrumperetur, ne Thessaliam armis subigeret et Lacedaemoniorum opes augeret. Itaque propter hanc sordidam avaritiam patria pulsus est. Herodotus 2) narrat, regem Cleomenem, quod inter quatuor Anaxandridae filios natu maximus esset, ab invitis Lacedaemoniis Dorieo praelatum esse, qui eum consilio et belli artibus longe praestaret. Sed quantum damnum attulit Cleomenis pravum ingenium reipublicae! Prodidit enim patriam et oraculum Delphicum corrupit ad Demaratum regia dignitate removendum. Quod scelus cum innotuisset, metu Spartiatarum in Thessaliam subterfugit et Arcadas contra patriam sollicitavit. Quid dicam de Pausania, quem multis egregie gestis et victoria apud Plataeas parta insolentius egisse et maiora tam vehementer concupivisse constat, ut, quam-

1) Manso Sparta I. p. 73. Pausan. III, 1, 7.
2) VI, 73.

quam ephororum indulgentia et lenitate iterum iterumque gravi supplicio liberatus esset, nihilominus tamen in dominandi effrenata libidine, fastu et divitiarum augendarum studio constanter procederet, et cum Persarum rege clandestina consilia iniret, imo etiam helotas libertatis spe contra patriam excitaret. Quo scelere tantam sibi apud populares suos contraxit contumeliam et contemtum, ut, cum poena digna plectendus esset, ne mater quidem misericordia afficeretur, et ad filium claudendum in aede Minervae lapidem ipsa afferret, vehementer irata, quod magnam belli gloriam tanto facinore maculavisset 1). Simili mentis humilitate Plistoanactem, Pausaniae filium, fuisse perhibet Thucydides 2). Periclis enim donis corruptus, cum in Atticam ingressus ad Eleusinem et ad Thriasium campum cum exercitu iam accessisset, itinere destitit et armorum felices progressus retardavit; quam ob rem Sparta relegatus est. Grave etiam

1) Nepos Pausan. c. 5. Idem exemplum affert Aristoteles in Polit. V, 7.
2) I, 114. II, 21.

detrimentum reipublicae illatum est a rege Leonida, Cleonymi filio. Is enim, quamquam propter vitam a patrio more tam alienam haudquaquam Spartiatis acceptus, rex tamen creatus est, quoniam in Agiadarum familia minorem Areum ante pubertatem vita defunctum propiore cognatione quam ullus alius attingeret. Hic autem Leonidas luxuriosa vivendi ratione multisque facinoribus pravis antiquos Lacedaemoniorum mores funditus pervertit *), et summopere studuit, ne pristina frugalitas et simplicitas in civitate restitueretur, quam revocare Agis, alter rex, vir magno animo et excelso, tentaret. Sed frustra! Leonidae enim artibus et machinatione supplicio affectus est.

Verum satis de animi humilitate dictum! Ne pigeat quaeso lectores, totum mecum retractare locum, quem punctis ita distinguo: (Repetendum est ex superioribus ἡ τῶν Καρχηδονίων πολιτεία) Τοὺς δὲ βασιλεῖς καὶ τὴν γερουσίαν ἀνάλογον (sc. ἔχει) τοῖς ἐκεῖ (ἐν Λακεδαίμονι) βασιλεῦσι καὶ γέ-

*) Egregie hoc cum coniectura mea consentit: ἂν ἀσελγεῖς ὦσι, aut: ἀσελγῶς ζῶσι.

ϱουσι. *Καὶ βέλτιον δὲ* (*ἐστί*), *τοὺς βασιλεῖς μήτε κατὰ τὸ αὐτό εἶναι γένος, μηδὲ τοῦτο τὸ τυχόν. εἴτε διαφέρον* (scil. *γένος ἐστί*), *ἐκ τούτων* (collective ad *γένος* referendum) *αἱρετοὺς μᾶλλον* (scil. *ἔχουσι*) *ἢ καθ' ἡλικίαν. μεγάλων γὰρ κύριοι καθεστῶτες, ἂν εὐτελεῖς ὦσι, μέγαλα βλάπτουσι καὶ ἔβλαψαν ἤδη τὴν πόλιν τὴν τῶν Λακεδαιμονίων.* Vides, me nihil aliud fecisse quam vulgarem interpunctionem mutasse. Etenim si in editionibus post *βέλτιον δὲ τοὺς βασιλεῖς* (,) interpungitur, tum facile accidit, ut, qui hoc legerit, omnino exspectet, Aristotelem de senatoribus aliquid additurum esse; quod contra philosophi consilium fuisse supra docui. Sin vero post *βέλτιον δὲ* (,) interpungitur, tunc perspicuum est, scriptorem sequentibus verbis nihil aliud spectasse, quam ut evidentius meliorem rationem exponeret, qua Carthaginienses in creandis Sufetibus uterentur.

CAPUT SEPTIMUM.

Regum et ducum imperium describitur. De numero Sufetum. Festi, Nepotis, Polybii, Livii, Zonarae testimonia. Sufetum militare imperium cum regia dignitate coniunctum. Iustini, Diodori, Polyaeni narrationes examinantur. Vera huius imperii ratio explicatur. Quid significet ὁ βασιλεὺς κατὰ νόμον. Qui nominati sint D i c t a t o r e s apud Poenos. P r a e t o r e s Carthaginiensium. Hannibal Carthaginem redux Praetor factus. Commentatorum errores. Quae fuerit vera huius Praeturae ratio ex historia demonstratur. Isocratis locus laudatur.

His tandem expositis, quae ad iustam interpretationem pertinent, progrediamur ad quaestionem de regum et ducum imperio instituendam. Carthaginem imperio regali reipublicae principio usam fuisse, non solum ex eo, quod Didonis reginae fama tam celebrata fuerit, coniici potest, sed etiam manifesto Aristotelis testimonio confirmatur.

Quinto enim Politicorum libro *) de mutatis imperii formis disputat, et regnum, i. e. regium imperium in democratiam transiisse memorat, ut Charilai regnum Lacedaemone et .... Carthagine. Nomen quidem huius Poenorum regis, sub quo haec mutatio imperii facta fuerit, aut textu excidit aut philosophus ignorasse videtur; attamen de re dubitari non potest. Quando autem et quemadmodum evenerit, ut hoc regnum in optimatum dominatum migraverit, et quando duo Sufetes reipublicae praeesse coeperint, investigari non potest, cum historiae documentis plane destituti simus.

Iam supra exposui, nomen Sufetum ex Phoenicum lingua (שופטים, Schophetim) ductum apud Tyrios et Hebraeos principes civitatis sive summos Iudices indicare. De numero eorum multum et in contrariam partem a viris doctis disputatum est. Calidius apud Festum et Paulus ex Festo non de uno, sed de „Sufetibus ad senatum referentibus" loquitur, eosque cum Ro-

*) c. X, 3.

manorum consulibus confert. Apud Graecos scriptores nullus certus reperitur locus, in quo perspicue de duobus sermo sit. Cornelius Nepos autem, qui sine dubio in enarrandis Hannibalis rebus gestis antiquorum scriptorum fidem sequitur, binos reges Carthagine quotannis, ut Romae consules, creatos esse tradit. Cum hoc coniungendus est Polybius 1) qui in describenda reipublicae Carthaginis forma mentionem Sufetum facit. Eodem modo Livius 2) de Sufetum magistratu, velut de consulari imperio dicit. Aristoteles etiam hoc capite de regibus loquitur, eosque cum Lacedaemoniorum regibus comparat. Quum autem duo Lacedaemone semper regnaverint, de numero Sufetum ex Aristotelis sententia dubitari nequit. Sed haec comparatio regni Sufetum cum dignitate regum Lacedaemoniorum non tam late patet, ut illorum imperium perpetuum quoque fuerit. Etenim Livii et Nepotis testimoniis, quibus adiun-

1) VI, 51.
2) XXX, 7.

genda est Zonarae enarratio 1), annuum Sufetum magistratum (ἐτήσιον ἀρχήν) fuisse confirmatur. Aristoteles ipse singulorum Sufetum imperium non diuturnum censet. Octavo enim huius descriptionis capite tradit, quinqueviros (τὰς πενταρχίας) diutius munere fungi quam ceteros magistratus: ad hos senatores potissimum et reges referendi sunt, qui 2) μέγισται ἀρχαί nominantur. Qua ex causa facile intelligitur, Aristotelem neque Sufetum regnum perpetuum indicare potuisse, nec in hac re eos cum Spartanorum regibus comparare voluisse.

Ceteri autem loci omnes, in quibus de uno rege sermo est, gravitatem et auctoritatem utriusque testimonii imminuere non valent, et interpretatio recte adhibita nexusque sententiarum docet, quam incerta sit eorum opinio, qui Carthagine unum Sufetem regnasse statuant 3). Etenim si Dio-

1) VIII, p. 381.

2) V. c. 11 et 12.

3) Evidenter ex Livio (XXVIII, 37.) demonstrari potest, duo Sufetes etiam in oppidis remotissimis summum imperium tenuisse. Conf. Liv. XXX, 7, et quae supra dixi.

dorus 1) Polybius 2) et alii unius regis mentionem faciunt, enarrant tantum, aliquid ab uno alterove rege factum aut dictum, aut decretum aut institutum esse; ex quo neutiquam coniici debet, unum tantum Sufetem reipublicae praefuisse. Quid enim opus erat de altero rege loqui, cum unius consilia aut facta memoranda essent? Quid? quod multo saepius accidit, quam vulgo putatur, ut alter Sufetum Carthagine abesset, quia summi ducis munere fungeretur?

Sed hic occasio mihi oblata est de militari Sufetum imperio disputandi. Sunt enim, qui existiment, nomen *βασιλέως* commune fuisse Sufetibus cum belli ducibus, et saepissime summum imperatorem hoc titulo describi aut ornari. Septem reperiuntur loci principales, in quibus regum nomen ducibus tribuitur. Iustinus nempe 3), postquam de periculo, ad quod Carthaginienses Agathoclis expeditione adducti essent, locutus

1) e. c. XX, 59.
2) e. g. III, 33.
3) XXII, 7.

est, eorum conditionem propterea tam angustam fuisse tradit, quod, nisi in Agathoclis exercitu seditio orta esset, ad hunc Bómilcar, rex Poenorum, cum exercitu defecisset. Clarum est, Bomilcarem exercitum Carthaginiensium ducentem ab Iustino appellari regem. Diodoro teste 1) Egestani legatos Carthaginem miserunt auxilium petituros. Qui cum advenissent et mandata exposuissent, diu in concilio centum virorum, (ἐν τῇ γερουσίᾳ) quae ratio ineunda esset, deliberatum est: tandem principis τῆς γερουσίας consilio Carthaginienses opem polliciti sunt et Hannibalem, qui tum rex erat ex lege, (κατὰ νόμους τότε βασιλεύοντα) ducem designarunt, si bello opus foret. Idem Diodorus 2) narrat: Imilconem ex lege regem a Carthaginiensibus ducem creatum esse ad bellum contra Dionysium gerendum. (Ἰμίλκωνα βασιλέα κατὰ νόμον καταστήσαντες.) Similis creandi ratio reperitur libro decimo quinto 3) eiusdem scriptoris. Car-

1) XIII, 43.
2) XIV, 54. Conf. Oros. IV, 6.
3) c. 15.

thaginienses gravitatem et magnitudinem belli cum Dionysio gerendi perpendentes regem Magonem designant summum belli ducem. Memorabilis etiam est Diodori 1) narratio de capto et necato Hamilcare, qui in capite XXXIII ὁ βασιλεύων, et in XXIX dux copiarum in Sicilia nominatur. Polyaenus quoque 2) Imilconem, regem, Carthaginiensium ducem fuisse copiarum in Sicilia prodit. Rex fuit etiam Hanno ille, qui, dux et praefectus classi creatus est, quae praeter oram Africae occidentalis maritimam navigare, colonias et oppida condere, et terras detegere iussa erat 3).

Ex his locis satis perspicuum est, Sufetes saepe summi ducis munus cum regia dignitate coniunctum administrasse. Itaque regibus, si exercitibus praeessent, recte utrumque nomen debebatur; soli duces nunquam reges appellabantur. Quod si autem accidit, ut Sufetes militari muneri diutius prae-

1) XX, 50.

2) I, 27, 2.

3) Vid. inscriptionem τοῦ περίπλου τοῦ Ἄννωνος.

essent, quam regii magistratus administrandi tempus permitteret, tunc non honoris causa, sed propter hoc duplex officium, *reges* atque dictatores nominabantur, et ipsa vox ὁ στρατηγός graviori significatione omnino intelligi debet. Ornati enim et regia potestate, quae iis continuabatur, et summi ducis dignitate, summum imperium in ea provincia exercebant, in qua bellum gerebatur. Qua ex causa nomen Dictatoris a Romanis scriptoribus non immerito iis tributum est. Cum autem saepe eveniret, ut alter rex militare imperium administraret, et eius regnum sufetiale una cum militari munere anni decursu continuaretur, tunc alter rex, qui *Carthagine creabatur* et regnabat κατ' ἐξοχήν, ὁ βασιλεὺς κατὰ νόμον appellatus est. Sufetes autem perpetuo magistratu non functos esse, evidenter ex Iustino demonstrari potest, qui *) Hasdrubalem *undecim* Dictaturas gessisse memorat. *Dictatores* ergo vocantur a Romanis scriptoribus Sufetes, si ornati sunt non solum regia dignitate, sed etiam summi imperatoris

*) XIX, 1.

munere; et Carthaginienses huic Hasdrubali sine dubio continuarunt tamdiu quotannis Sufetis et imperatoris magistratus, quamdiu bellum gerebat, et rerum status et provinciae conditio id postulabat, cum eorum res et opes tam felici successu augerentur, et creatus dux tanta virtute, ingenio et felicitate excelleret. Dubitari autem nullo modo potest, quin a Romanis scriptoribus Dictatores Carthaginiensium etiam tales appellati sint, qui summo imperio et publica auctoritate instructi in provincias emitterentur ad milites conducendos, quibus exercitus supplerentur, et ad mandata quaedam gravissima exsequenda, quando novus et inopinatus casus in republica evenisset et celeri consilio atque auxilio opus esset. Hoc raro quidem factum esse videtur; res ipsa tamen certa est et ex Livio *) probanda. Cum enim Mago Carthaginem venisset nuncius victoriae, quam frater ad Cannas adeptus erat, magna laetitia exorta senatus consultum factum est, ut Hannibalis exercitus supplemento augerentur. Itaque „Dictator

*) XXIII, 13.

cum Magone in Hispaniam praemissus est ad conducenda viginti millia peditum, quatuor equitum, quibus exercitus, qui in Italia quique in Hispania erant, supplerentur.“ Hic Dictator sine dubio unus e Quinqueviris fuit, qui alias βοήθαρχος vocatur. Recte igitur Sufes appellari potest Dictator, cui una cum summo militari imperio in provincia aliqua gerendo summa quoque procuratio, summa potestas atque publica auctoritas tribuitur et duplex munus administrandum mandatur. Cum autem accideret, ut summi Carthaginiensium duces saepius quam reges summa gubernatione fungerentur in ea provincia, in qua bellum gererent: facile intelligitur, cur Romani scriptores Poenorum duces etiam nominent Dictatores, quorum auctoritas atque potestas in hoc summo imperio maxime cerneretur. Quam ob causam Suidas Dictaturam διπλασίαν ἀρχὴν nuncupat. Idcirco Cato in Originibus apud Gellium *) Hannibalem vocat Dictatorem, et Frontinus eodem verbo

*) X, 24.

utitur, 1) cum de ducibus Carthaginiensium loquitur. Memorabilis quoque est Senecae 2) sententia, quam e Ciceronis republica laudat: „Apud antiquos magistrum populi vocatum esse eum, quem recentes Dictatorem dicerent".

Simili ratione a Romanis scriptoribus aliorum populorum summi duces nominantur Praetores, qua voce idem summum imperium militare et civile in provincia, in qua summus dux bellum gerit, indicatur. Graeci eodem modo aliorum populorum duces sensu graviori στρατηγούς nominant, quo titulo summa auctoritas atque imperium summi ducis significatur, qui a Romanis Praetor nuncupatur 3). Sed alia est ratio,

---

1) Strateg. II, 1.
2) epist. 108. §. 30.
3) Plura de vi huius verbi adnotavi in editione mea Epistolarum Horatii adversis fatis adhuc retardata, (ad Epist. II, 2. v. 37) „Forte sub hoc tempus castellum evertere Praetor nescio quod cupiens" etc. Praetores appellabantur a Romanis scriptoribus omnes duces, inprimis autem aliorum populorum, quibus summum militare imperium et gubernatio summa eius provinciae, in qua

qua Hannibal in patriam redux Praetor a Livio et Nepote appellatur, quorum narratio hoc loco rectius explicanda est, quam a commentatoribus exposita videtur.

Uterque scriptor *) tradit, Hannibalem a Carthaginiensibus Romanorum iussu Car-

---

bellum gerebant, commissa erat. Si ad primariam significationem verbi respicias, perspicuum erit, cur summum hoc munus Praetoris nomine indicetur. Sic summus ille magistratus, qui a Graecis Ἄρχων vocatur, a Romanis Praetor nuncupatur, nec non summi duces Graecorum, qui graviori sensu στρατηγοί dicuntur, a Romanis etiam Praetores nominantur. Cicero (off. 1, 40.) Periclen et Sophoclen, qui ab Atheniensibus adversus Lacedaemonios summi duces creati sunt, Praetores appellat. Conf. Diod. XII, 7. Περικλῆς αἱρεθεὶς στρατηγός. Iustin. III, 7. Liv. XXI, 2. Praetor Saguntinus XXIII, 19. XXIX, 12. XXXI, 24. Praetor Atheniensium, c. 25. Cycliades Praetor Achaeorum XL, 21. 41. XLII, 43. Praetor Boeotorum. Epit. 50. Nepos Arist. 2. Milt. 4. Cic. divin. I, 54. Laches Praetor. Cic. Orat. II de lege Agrar. c. 34. Cf. Bosium ad Corn. Nep. Hannib. c. 7. et Tzschucke ad h. l.

*) Liv. XXXIII, 46. Horum (Iudicum, i. e. Centumvirorum et Quinquevirorum) in tam impotenti regno (neque enim civiliter nimiis opibus utebantur) Praetor factus est Han-

thaginem revocatum, Praetorem creatum esse. Mirum omnino videri possit, Hannibalem, qui anno aetatis suae secundo et vicesimo, cum iam in Hispania summum imperium teneret, rex fuisset, anno quinquagesimo demum Praetorem factum esse. Res autem tam obscura et difficilis non est, si conditionem Carthaginiensium tum temporis accuratius consideraveris. Quum enim Poeni a Romanis coacti Hannibalem, qui post proelium ad Zamam factum summum imperium militare in Provincia Africa (non Carthagine) teneret, in metropolin revocavissent, magna pars senatus, amici et populus summo studio id spectabant, ut Hannibalis dolorem ob hanc turpem et indignam revocationem a bello lenirent, et quocunque modo ostenderent, quanti praeclarum suum imperatorem aestimarent. Itaque nova eaque amplissima dignitate eum

---

nibal. — Corn. Nep. Hannib. 7: Hoc responso Carthaginienses cognito Hannibalem domum revocarunt. Huc ut rediit, Praetor factus est, postquam rex fuerat anno secundo et vicesimo.

ornari decreverunt. Qui autem honor, quodve munus inveniri poterat, quod excellenti viro et imperatori deferendum esset? Sufetis magistratu iam functus erat; in Hispania, in Italia, in Africa, summum imperium obtinuerat, et procurationem harum provinciarum etiam administraverat, ideoque utrumque magistratum gesserat, quem a Romanis scriptoribus dictaturam dictam esse supra demonstravi. Si igitur Hannibal ampliori et insigniori honore afficiendus esset, Carthaginienses novum et ceteris maiorem magistratum constituere oportuit, quo meritis praeclarissimi ducis iustam quandam praeberent aestimationem. Itaque inventus est novus et maior magistratus, qui in procuranda tota civitate, in summa auctoritate exercenda, in summa gubernatione moderanda cerneretur. Cum enim neque conditio neque pacta Poenis permitterent bella gerere, Hannibalis administratio tantum in patria servanda versari poterat, in iurisdictione emendanda, in ordinanda republica, in vectigalibus cogendis, distribuendis, instituendis. Haec autem officia omnia ad gubernationem civilem pertinent, quod etiam

Nepos 1) evidenter his verbis declarat; „In eo magistratu pari diligentia se Hannibal praebuit ac fuerat in bello.“ Quam singularis et gravis fuerit hic novus magistratus, ex eo iam intelligi potest, quod scriptores variis utuntur verbis ad designandum hunc honorem. Iustinus 2) Hannibalem hoc insigni ac novo magistratu ornatum, Consulem et principem civitatis nuncupat; eadem vocula Livius utitur 3), et Zonaras 4) hunc magistratum Hannibalis τὴν μεγίστην τῶν Καρχηδονίων ἀρχήν fuisse dicit. Quo autem latino verbo hic principatus rectius designari potuit quam Praetoris titulo, quo Nepos et Livius Hannibalis amplissimum munus indicant? Cum enim Dictatoris nomine aliud et ab hac dignitate diversum imperium significetur, vix aliam vocem inveneris, quae aptior esset et magis accommodata ad describendam hanc extraordinariam et singularem Hannibalis

1) VII.
2) XXX, 2.
3) XXXIII, 48.
4) Annal. I, p. 443. item p. 449.

gubernationem. Maior autem dignitas et praeclarior honor in republica Carthaginiensi excogitari non poterat, quam hic principatus et praepotens imperium, quo Hannibal Sufetibus, Quinqueviris, Centum et quatuor viris et ceterae senatus parti praeesset et ex hac auctoritate sua instituere posset, quae patriae salutem afferre viderentur, eaque abrogare, quibus respublica detrimentum caperet. Officia autem ista ad quinqueviratum et centumviratum pertinebant, et antequam Hannibal hunc principatum adeptus esset, ab his quoque exercebantur. Cum vero centumviros providere oporteret, ne *unus summum sibi vindicaret imperium*; cum quinqueviri non solum aerarii et vectigalium administrationem gererent, sed etiam gubernationis tam internae quam externae munia explerent et ad hanc potestatem sustentandam interiori amicitia, sodalitatibus et conviviis (*τὰ συσσίτια τῶν ἑταιρειῶν*) arcte inter se coniungerentur: facile intelligitur, Hannibalem centumvirorum odium maxime sibi contraxisse, idque vehementer auctum esse, cum illorum potentiam coërceret, et vectigalium,

quibus ditarentur, procurationem ipse administraret, immo legem promulgaret, qua Iudices (שופטים, Schophetim) in singulos annos legerentur.

Hoc modo Hannibalis titulum et amplissimam illam dignitatem interpretandam esse ex Livio 1) et Nepote 2) et Iustino 3) patet. Ex tota autem hac disputatione facile manifestum erit, quid Isocrates 4) indicare voluerit dicens: *οἱ Καρχηδόνιοι οἴκοι μὲν ὀλιγαρχούμενοι, παρὰ δὲ τὸν πόλεμον βασιλευόμενοι.*

---

1) l. c.
2) l. c.
3) l. c.
4) V. c. 2. huius commentationis.

CAPUT OCTAVUM.

Senatores Carthaginiensium. Narrationis difficilis expositio indicatur. Heereni sententia probatur. Nova quaestio de duobus Senatorum collegiis instituitur. Argumenta et documenta ex Diodoro, Polybio, Livio afferuntur. Γερουσία καὶ Σύγκλητος. Γερουσία priorem locum tenet.

Memorabilis hic locus materiam nobis quoque praebet de Carthaginiensium senatoribus copiosius disserendi, quorum auctoritas et potestas ex Aristotele, qui de iis generaliter tantum dicit iisque similitudinem quandam cum Lacedaemoniis fuisse memorat, demonstrari non potest. Conferendae autem sunt ceterorum scriptorum narrationes et cum philosophi sententia componendae, si quid certi effici debeat. Quaestio sane difficilis tamque obscura, ut, qui Hendrici et Ubonis Emmii confusas descriptiones legerit, vix sibi persuasurus videatur, nos quidquam novi allaturos et documentis confirmaturos esse. Ingeniosus Ludenus centumviros a senatu

distinguit et in hac re ad nostram sententiam accedere videtur 1). Praeclarus Heerenus, qui in opere „de politia et commerciis antiquorum populorum" tam multa egregie exposuit, senatum in duplex concilium divisum fuisse argumentatus est. Nos viri doctissimi vestigia secuti ulterius hac via progredi conabimur et demonstrabimus, duo collegia pluribus locis scriptorum Graecorum et Romanorum omnino distingui. Diodorus 2) narrat, Dionysium omnibus ad bellum necessariis instructis praeconem cum literis Carthaginem ad τὴν γερουσίαν misisse, in quibus scriptum esset: Syracusanos bellum illaturos Carthaginiensibus, nisi Graecis in Sicilia urbibus excederent. Praeco, prout iussus erat, literas affert. Hae primum ἐν τῇ γερουσίᾳ leguntur, deinde ἐν τῇ συγκλήτῳ, denique coram populo (δήμῳ) recitantur. Perspicue hoc loco senatum ex duabus partibus constare indicatur. Proponamus secundum exemplum! Polybius

---

1) Allg. Gesch. der Völker und Staat. d. Alterth. T. I. 2. Ausg. p. 150, p. 161.

2) XIV, 47.

Romanum senatum semper σύγκλητον aut συνέδριον vocat; verum si de senatu Carthaginiensi loquitur, omnibus locis, ubi accuratiore notitia opus est, distinguit inter γερουσίαν et σύγκλητον. Id apparet ex narratione libri decimi 1). Scipio enim Nova Carthagine expugnata et multis captivis factis ex eorum turba Magonem ducem segregavit et ceteros Carthaginienses comites. Inter hos autem captivos duo fuerunt e Seniorum collegio (δύο μὲν ἦσαν κατειλημμένοι τῶν ἐκ τῆς Γερουσίας) et quindecim ex reliquo senatu (πέντε δὲ καὶ δέκα τῶν ἐκ τῆς Συγκλήτου.) Vides iterum duorum collegiorum mentionem fieri. Idem discrimen Consules Romani et Senatus non ignorabant. Inter conditiones enim, sub quibus concederent, ut Carthaginienses se arbitrio Romanorum dederent, etiam haec fuit 2): ut intra triginta dies obsides trecentos Lilybaeum mitterent, et quidem filios senatorum et se-

1) c. 18.
2) Polyb. XXXVI, 2.

niorum (τοὺς υἱοὺς τῶν. ἐκ τῆς συγκλήτου καὶ τῆς γερουσίας.) Ex his narrationibus evidenter demonstrari potest, senatum Carthaginiensium in duas curias sive concilia distributum fuisse. Priorem locum ea senatus pars sine dubio tenuit, quae Γερουσία dicitur a scriptoribus. Id satis apparet ex iis testimoniis, quae modo laudavimus, et magis sequentibus exemplis confirmabitur. Livius 1) tradit, Carthaginienses post famam capti Syphacis oratores misisse ad pacem petendam triginta seniorum principes. Ut vero hi Seniores accuratius describantur, Livius addit: id erat sánctius apud illos consilium, maximaque ad ipsum senatum regendum vis. His verbis gravitas et auctoritas potior τῆς Γερουσίας aperte declaratur, quae etiam Diodori 2) testimonio vehementer confirmatur. Postquam enim Archagathi res feliciter gestas et Carthaginiensium conditionem ancipitem narravit, seniorum concilium egregie de bello consultavisse, et tum demum a cuncto

1) XXX, 16.
2) XX, 59.

senatu tres exercitus conscribi decretum esse tradit. (*Μετὰ δέ ταῦτα τῆς γερουσίας ἐν Καρχηδόνι βουλευσαμένης περὶ τοῦ πολέμου καλῶς, ἔδοξε τοῖς συνέδροις τρία στρατόπεδα ποιήσαντας ἐκ τῆς πόλεως ἐκπέμψαι.*) Aliud memorabile factum eiusmodi etiam Polybius refert 1). Carthaginienses seditione militum mercenariorum orta quosdam ex seniorum collegio legatos miserunt, (*τῶν τε τῆς γερουσίας τινὰς πρέσβεις*) qui mercenarios omnia impetraturos esse pollicerentur, quae antea postulassent. Inter omnes autem constat, quamvis permagna fuerit ducum auctoritas atque dignitas, collegium centumvirorum (*οἱ τῆς γερουσίας*) de eorum factis, consiliis, et de belli gerendi ratione iudicavisse et praemia aut poenas in duces decrevisse eorumque dissensiones disceptasse. Exemplum eiusmodi exhibet Polybius 2): Carthaginienses *προχειρισάμενοι τριάκοντα τῆς γερουσίας καὶ μετὰ τούτων τὸν πρότερον Ἄννωνα* ad Barcam miserunt, ut imperatorum animos quo-

1) I, 68.
2) I, 87.

que modo inter se conciliarent. Hi legati ducibus convocatis post varia et saepe repetita colloquia evicerunt tandem, ut in gratiam redirent et iudicio ipsorum acquiescerent.

Ex his primoribus senatoribus saepe nonnulli comitari solebant duces, ut horum imperium consilio et auctoritate moderarentur, et, si res gravior gerenda esset atque peragenda, iis non deessent. Polybio teste 1) mittit Hannibal ὁ στρατηγός Booden τῆς γερουσίας ὑπάρχοντα cum viginti navibus ad capiendum Cn. Cornelium Romanum senatorem. Similis ratio cernitur in foedere Carthaginiensium cum Philippo rege Macedonum facto, ubi ordo honorum ita constitutus est 2). Ὅρκος, ὃν ἔθετο Ἀννίβας ὁ στρατηγός, (graviori significatione ita dictus). Μάγωνος, Μύρκανος, Βαρμόκαρος καὶ πάντες Γερουσιασταὶ Καρχηδονίων οἱ μετ' αὐτοῦ κ. τ. λ. Idem ordo repetitur, cum promissum fidei praestandae pronunciatur. Polybius viros τῆς γερουσίας et τῆς συγκλήτου interdum uno nomine compre-

1) I, 21.
2) Polyb. VII, 9, 1 et 4.

hendere et τὸ *Γερόντιον* 1) nominasse videtur. Plenum autem consessum utriusque concilii (i. e. *τῆς γερουσίας καὶ τῆς συγκλήτου*) congregati τὸ *Συνέδριον* 2) vocat. Id vehementer confirmatur facto aliquo, cuius Polybius 3) mentionem facit. Quum legati Romani in talem consessum ingressi et sinum togae congregatis senatoribus ostendentes aut pacem aut bellum se afferre declaravissent et his potestatem permisissent excutiendi sinus: alter rex Carthaginiensium illos promere iussit, utrum visum ipsis foret. Cum Romanus dixisset, bellum se promturum: a pluribus simul e senatorum numero accipere se succlamatum est. Hoc autem

1) VI, 51, 1.

2) I, 3, 1.

3) III, 33: *Ὁ δὲ πρεσβύτατος αὐτῶν, δείξας τοῖς ἐν τῷ συνεδρίῳ τὸν κόλπον· Ἐνταῦθα καὶ τὸν πόλεμον αὐτοῖς, ἔφη, καὶ τὴν εἰρήνην φέρειν· ἐκβαλὼν οὖν, ὁπότερον ἂν κελεύσωσιν, ἀπολείψειν· ὁ δὲ βασιλεὺς τῶν Καρχηδονίων, ὁπότερον ἂν αὐτοῖς φαίνεται, τοῦτ᾽ ἐκβαλεῖν ἐκέλευσε. Τοῦ δὲ Ῥωμαίου φήσαντος, τὸν πόλεμον ἐκβαλεῖν, ἀνεφώνησαν ἅμα καὶ πλείους τῶν ἐκ τοῦ συνεδρίου, δέχεσθαι φάσκοντες· οἱ μὲν οὖν πρέσβεις καὶ τὸ συνέδριον ἐπὶ τούτοις ἐχωρίσθησαν.*

fieri non poterat, licet principes essent seniores et magnae auctoritatis, nisi omnes summi magistratus inter se consentientes convocati consedissent. Accedit, quod Sufetes aderant, qui pleno tantum omnium senatorum consessui praesidere solebant. Haec sententia etiam probatur Diodori *) narratione iam supra memorata. Cum enim Carthaginienses Archagathi armis vexati diu dubitavissent, quae ratio ineunda esset: primum deliberavit ἡ γερουσία de bello suscipiendo, et tunc demum tripartitum ex urbe agmen emitti patribus conscriptis placuit. (*Μετὰ δὲ ταῦτα τῆς Γερουσίας ἐν Καρχηδόνι βουλευσαμένης περὶ τοῦ πολέμου καλῶς, ἔδοξε τοῖς συνέδροις τρία στρατόπεδα ἐκπέμψαι.*)

His singulis narrationibus expositis difficile non erit, communem aliquam notionem colligere. Cum enim omnes res, quae ad summam civitatis gubernationem atque summum imperium pertinerent, primum ad τὴν γερουσίαν deferrentur: recte sequitur, viros huius concilii summos iudices

*) XX, 59.

et magistratus amplissimos fuisse. Demonstravi autem supra, ordinem centumvirorum non solum de imperatorum rebus gestis, sed etiam de aliis iisque gravissimis causis, quae ad externam gubernationem pertinerent, primum inter se consultavisse et deliberatione facta cum τῇ συγκλήτῳ, quae τὴν γερουσίαν frequentia multo superaret, rem communicasse, et tunc demum cum his decrevisse, quae exequenda essent. Si ἡ γερουσία, ut Aristoteles *) memorat, et ἡ σύγκλητος cum Sufetibus consentirent, causa disceptabatur, neque ad populum deferebatur; si inter se dissentirent, tum populus arbiter factus constituendi potestatem habebat. Supervacaneum igitur non est, quod Aristoteles dicit: ἂν οἱ βασιλεῖς μετὰ τῶν γερόντων ὁμογνωμονῶσι πάντες (i. e. cuncti in utroque concilio), tunc lex sancita, res confecta et causa decisa est.

*) §. 3 edit. Schneider. §. XII. in hac commentatione.

CAPUT NONUM.

Quae vitia contra legislatoris consilium ex hac civitatis forma profecta sint. Commentatorum interpretatio emendatur. Ἄν cum participio coniunctum modorum vim servat. Ὑπόθεσις quid h. l. significet.

Τὰ μὲν οὖν πλεῖστα τῶν ἐπιτιμηθέντων ἂν διὰ τὰς παρεκβάσεις κοινὰ τυγχάνει πάσαις ὄντα ταῖς εἰρημέναις πολιτείαις· τῶν δὲ πρὸς τὴν ὑπόθεσιν τῆς ἀριστοκρατίας καὶ τῆς πολιτείας τὰ μὲν εἰς δῆμον ἐκκλίνει μᾶλλον, τὰ δ' εἰς ὀλιγαρχίαν.

Plurima igitur eorum, quae reprehendi possent, propter aberrationes a principali fine, omnibus civitatibus supra commemoratis communia fere sunt: eorum vero, quae nituntur aristocraticae et civilis gubernationis fundamento, nonnulla magis ad populare imperium, nonnulla autem ad paucorum dominationem inclinant.

Commentatores, et inprimis Füllebornus, de orationis obscuritate conqueruntur, cum sententiae, quae vocabulis interpositis

μέν et δέ opponi et distingui debent, non satis perspicuae sint.

Mihi oratio non tam obscura videtur. Philosophus descriptionis initio dixerat: civitatem Cretensem, Lacedaemoniam et Carthaginiensem multa habere inter se similia; in hac autem nonnulla etiam reperiri, quae in ceteris desiderarentur. Omnia enim, quae superioribus commentariis 1) de ephoris, de suffragiis, de regibus etc. vituperaverat, ea ad Lacedaemonios et Cretenses quidem spectabant, minime vero ad Carthaginienses. Quae autem in republica Carthaginiensium reprehendenda erant, haec civitas partim cum ceteris communia habebat, partim in ea sola reperiebantur. Singularis atque memorabilis omnino erat Poenorum conditio, quod republica uterentur, quae in optimatum dominatu et populari imperio posita esset 2), et tamen reipublicae formam et gubernationem servaret, quamvis utriusque potestatis fines non solum optimates sed etiam plebs iamdudum

1) II, 1 — 7.

2) Ἡ Καρχηδονίων πολιτεία, καίπερ ὑπόθεσιν ἔχουσα πολιτείας μεμιγμένης ἀριστοκρατίᾳ κ. τ. λ. Coraius in scholiis.

transisssent. Aristoteles legislatorem reprehendit, quod, cum optimatum et populi imperium et iura inter se conciliare sibi proponeret, non cautius terminos discernere studuisset; unde factum esse declarat, ut utraque constitutio a primario scopo aberraret et potestas optimatum in paucorum dominatum mutaretur, contraque populus partem aliquam potentiae optimatum sibi vindicaret. Recte igitur periodus in duas propositiones dividitur, quarum altera ad vitia reipublicae Carthaginiensis communia cum ceteris spectat, altera ad errores huic proprios. Haec autem interpretationis ratio probatur sequentibus exemplis, quae ex sola Carthaginiensium civitate ab Aristotele afferuntur et percensentur ad confirmandam sententiam, quam in altero membro orationis proposuerat. Accuratius autem explicanda sunt verba: τὰ μὲν πλεῖστα τῶν ἐπιτιμηθέντων ἄν, quibus philosophus nullo modo exprimere voluit, quod commentatores opinantur: „plurima vitia ceterarum civitatum, quae in superioribus descriptionibus vituperata essent, Punicam rempublicam cum his communia habere“: (quantus enim tunc esset nume-

rus vitiorum, si Carthago plurima vitia omnium ceterarum civitatum, et sua quoque propria vel non pauca haberet; quam ridicula Aristotelis laus Carthaginiensibus tributa, qui tantum aberant, ut imperio dissoluto et plurimis vitiis laborarent, quae in Cretensium et Lacedaemoniorum republica invenirentur, ut potius meliori et firmiori florerent regno,) sed sententia ita concludenda est: Plurima, quae in republica Carthaginiensi propter aberrationes a primario scopo a me vituperari quidem (μέν) possent, haec cum ceteris duabus communia habet, ideoque ut nota praetereo; quae autem (δέ) ex optimatum et populi mixto imperio in rempublicam redundarint incommoda, quaeque vitia ex eo profecta sint, quod plebeii non minus quam optimates propria iura migraverint, ea silentio praeterire non possum, cum huic civitati propria sint. Verba sequentis periodi: ὅπερ ἐν ταῖς ἑτέραις πολιτείαις οὐκ ἔστι, hanc interpretationem manifeste confirmant, et distinctio periodi per τὰ μέν et τῶν δέ nunc facile intelligitur. Itaque ἐπιτιμηθέντων ἄν non ad ea, quae reprehensa sunt superioribus libris, sed ad

eâ tantum vitia reipublicae Carthaginiensis referri debent, quae in ceteris quoque civitatibus inveniantur. Id patet ex addito ἄν, quod in participio ut in tempore finito modi optativi vim servat. Quam vehementer autem haec nostra concludendi ratio ab aliorum ratiocinatione differat, facile quisque intelligit. Si enim Carthaginiensium respublica plurima vitia ceterarum civitatum habeat, et multa praeterea propria: eius praestantia et gloria profecto valde dubia est et inanis; sin autem eiusmodi vitia in Punica civitate, ceteroquin multis praeclaris institutis insigni, inveniantur, quae ex aberratione a principali fine legislatoris orta sint, licet propria aliqua accedant: tum omnino locus esse potest laudi et praedicationi.

Ὑπόθεσις h. l. neque σκοπόν, ὅρον significat, neque suppositionem, sed principium, consummatam speciem, constitutionem principalem, quae legislatoris animo obversabatur, cum optimatum et populi imperium constituere sibi proponeret. Genitivus τῶν δὲ est partitionis, aut Genitivus respectus, quo Graeci saepe utuntur ut Accusativo respectus.

CAPUT DECIMUM.

Regum et Senatorum potestas ad populum deferendi et non deferendi. Populi auctoritas et ius decernendi.

Τοῦ μὲν γὰρ τὸ *) μὲν προσάγειν, τὸ δὲ μὴ προσάγειν πρὸς τὸν δῆμον οἱ βασιλεῖς κύριοι μετὰ τῶν γερόντων, ἂν ὁμογνωμονῶσι πάντες· εἰ δὲ μὴ, καὶ τούτων ὁ δῆμος. Ἃ δ' ἂν εἰσφέρωσιν οὗτοι, οὐ διακοῦσαι μόνον ἀποδιδόασι τῷ δήμῳ τὰ δόξαντα τοῖς ἄρχουσιν, ἀλλὰ κύριοι κρίνειν εἰσί· καὶ τῷ βουλομένῳ τοῖς εἰςφερομένοις ἀντειπεῖν ἔξεστιν· ὅπερ ἐν ταῖς ἑτέραις πολιτείαις οὐκ ἔστιν.

Varr. lectt. *) Aldina: Τὰ μὲν προσάγειν, τὸ δὲ μή. Coraius: Τὰ μὲν, τὰ δὲ μή.

Reges enim cum senatoribus potestatem habent quaedam ad populum deferendi, quaedam non deferendi, si inter se consentiunt; si non, penes populum est arbitrium et potestas. Quae autem illi afferunt, populo non solum renunciant, ut audiat, quae placue-

rint principibus civitatis, sed hic ipse tunc iudicandi et decernendi potestatem habet. Licitum est quoque cuivis de populo, si velit, contra ea, quae proponantur, dicere; quod non ita se habet in ceteris duabus civitatibus.

Ambiguum videri possit, utrum *κύριοί εἰσι κρίνειν* de magistratibus dicatur, qui ad populum deferant, an de populo, cui deferatur. Sed haec ratio verior est. Summi magistratus non solum communicant cum populo res civiles, causas publicas, et consultant, ut ea noscat, sed ut decernat; potestas ergo tunc penes populum est. Pluralis numerus *κύριοι* ad nomen collectivum *τὸν δῆμον* referendus *). *Ἐν ταῖς ἑτέραις πολιτείαις* commentatores: „in aliis", vertunt, cum potius vertendum sit: in ceteris duabus rebus publicis, i. e. Laconica et Cretensi.

*) *Ἀλλὰ κύριοι κρίνειν*, sc. *ὁ δῆμος*. Coraius.

CAPUT UNDECIMUM.

De Pentarchiis. Πενταρχία explicatur. Aristoteles plurali numero utitur. Vox analoga Δεκαρχία. Qui magistratus ita dictus sit apud Lacedaemonios. Comparatio cum πενταρχίαις. Quinqueviratuum officia et ampla munera. Eorum creatio. Quinquevirorum et centumvirorum coniunctio. Sodalitia. Similitudo decemviratuum et quinqueviratuum. Centumvirorum arrogantia et potentia. Quaestores in quinqueviratibus. Quinqueviri ex centumviris electi. Eorum itinera. Hannibalis lex. Ἡ Γερουσία summum iudicium in quinqueviros exercet. Quinqueviratus in singulis oppidis. Βοήθαρχοι Carthaginiensium. Sacerdotum collegium. Sacerdos Herculis Sufeti dignitate proximus, in quinqueviratu vir primarius; Quaestor secundus; Boëtharchus tertius; Censor quartus; Aedilis Municipalis quintus.

Τὸ δὲ τὰς πενταρχίας κυρίας οὔσας πολλῶν καὶ μεγάλων ὑφ' αὑτῶν αἱρετὰς

εἶναι, καὶ τὴν τῶν ἑκατὸν ταύτας αἱρεῖσθαι τὴν μεγίστην ἀρχὴν, ἔτι δὲ ταύτας πλείονα ἄρχειν χρόνον τῶν ἄλλων, (καὶ γὰρ ἐξεληλυθότες ἄρχουσι καὶ μέλλοντες *) ὀλιγαρχικόν.

Varr. lectt. *) Schneiderus Sylburgi coniecturam *μένοντες*, in textum recepit. Coraius idem fecit.

Quod autem quinqueviratus multarum et magnarum rerum domini se ipsi eligant, et centumviros, qui sunt apud eos amplissimi magistratus, creent, denique quod illi diutius quam reliqui magistratu fungantur, (nam cum abdicaverunt quinqueviratu et cum eum capturi sunt, magistratum gerunt) hoc ad paucorum potestatem referendum est.

Vix aliquis quaesiverit, utrum *ταύτας* sit accusativus subiecti an *τὴν μεγίστην ἀρχήν*. Priorem rationem totus sententiarum nexus et verborum collocatio postulat, et institutis Carthaginiensium evidenter confirmatur. In plurimis versionibus eodem modo ambigui sunt accusativi ut in textu graeco.

Facile fallimur, nisi bene distinguamus, quid intersit inter *πενταδάρχας* vel *πεμπαδάρχας* et inter *πεντάρχας* atque *πεν-*

ταρχίας 1). *Πεμπαδάρχης* nominatur, qui praeest *πεμπάδι* i. e. quinque militibus, ut ex Xenophontis Cyropaedia II, 1, 22. apparet. *Πεντάρχης* dicitur, qui est e numero quinqne virorum, itaque quinquevir; *Πενταρχίαι* igitur sunt quinqueviratus, i. e. singula collegia virorum, in quibus quini viri simul imperant. Aristoteles neque vocabulo *πεντάρχης* utitur, neque vocula *πενταρχία* singulari numero, sed *πενταρχίας* dicit plurali tantum numero, ad indicandum, neque de singulis quinqueviris, neque de uno quinquevirorum collegio sermonem esse, sed de pluribus quinqueviratibus. Aristoteles docet, hos quinqueviratus multarum et magnarum rerum compotes fuisse, verbis *μεγάλων κύριον εἶναι*, quibus aperte summorum magistratuum potestas designatur. Sic ephoratum et ephoros 2) *ἀρχὴν κυρίαν τῶν μεγίστων, κυρίους κρίσεων μεγάλων* et *μεγίστην ἀρχήν* vocat, et reges Lacedaemoniorum 3) *κυρίους τῶν μεγάλων*

1) Conferantur Schneideri annott. ad h. l.
2) II, 6, 14. 16.
3) II, 7, 3.

nominat. Cum autem de regibus Carthaginiensibus, de senatoribus, de centum et quatuor viris iam disputatum sit, eorumque potestas descripta, et centumvirorum auctoritas ac vis quoque exposita: quinqueviratus ad alia et quidem diversa, sed ad summa amplissimaque munera pertinere liquet. Haec autem mira et memoratu digna quinqueviratuum conditio maximi est momenti, et non tam accurate a commentatoribus exposita, quam difficultas et gravitas rei desiderat. Qua ex causa necesse est, ut denuo quaestio de quinqueviratibus a me diligenter instituatur.

Vox πενταρχίαι analogicam habet formam in compositione cum verbo δεκαρχίαι et huic affinem significationem. Δεκαδαρχίαι autem nominabantur illi decem magistratus, quos Lacedaemonii in urbes expugnatas emittebant, ut summum civile et militare imperium exercerent. Quantus igitur numerus erat urbium expugnatarum, tantus quoque numerus decemviratuum. Xenophonte teste *) Lysander restituere voluit τὰς δεκαρχίας τὰς

*) Hell. III, 4, 2. et 7. VI, 3, 5.

καταστάθείσας ἐν ταῖς πόλεσιν. Isocrates enarrat in Panathenaico 1) a Lacedaemoniis constitutos esse δέκα μόνους ἄνδρας κυρίους ἑκάστης πόλεως. Eiusdem imperii mentionem facit in oratione ad Philippum 2), et in Panegyrico 3). Cornelius Nepos memorat, Lysandrum 4) in unaquaque civitate delegisse decem, quibus summum imperium potestatemque omnium rerum committeret 5). Hae δεκαρχίαι igitur, sive decemviratus, erant summi magistratus, qui a Lacedaemoniis emittebantur ad summum imperium foris exercendum in oppidis Spartanorum ditioni subditis. Cum autem Aristoteles plurima Carthaginien-

1) c. 25 p. 407 ed. Lang. cf. c. 18.
2) 40.
3) p. 86. ed. Lang.
4) Lysand. 1. 2.
5) Conf. Harpocratio in h. v. et in δεκαδοῦχος, (v. Hen. Sephani diatr. 7. in Isocrat. p. 25.) Diodor. XIV, 3. Plutarch in Lysandro c. 13. Diod. XIV, 13. et quae Wesseling de varietate scribendi in verbis δεκαρχία et δεκαδαρχία notavit. Adde Vales. ad l. Harpocrat. Corai et Lange ad l. Isocrat. laudat. Suidas in h. v. Spohn ad Isocr. Panegyr. 32, Schneideri comment. ad h. l. Aristotelis.

sium instituta ad similitudinem et affinitatem cum Lacedaemoniis referat, haecque vocula πενταρχίαι eandem formam et compositionis analogiam ad δεκαρχίας factam habeat: hac voce simile institutum ab eo indicari recte concluditur. Itaque πενταρχίαι erant singula collegia optimatum, qui in urbibus Poenorum potestati subditis summum imperium tenebant, eorum possessiones et res tutabantur, administrabant, firmabant, et auctoritatem dominationemque in regionibus longinquis sustentabant. Aristoteles plurali numero utitur, quoniam eorum numerus aequabat numerum tot oppidorum, in quae tales magistratus emittebantur. Cum autem facile fieri posset, ut quinqueviri in urbibus tributariis provinciae magnae et opulentae regnum sibi ipsi vindicarent, praesidia in suas partes traherent, ad defectionem sollicitarent et tyrannidem usurparent: prudenter legibus sancitum erat, ut post aliquod tempus (post duos annos *) hoc factum esse opinor) quin-

*) conf. Liv. XXXIII, 46.

queviratu abdicarent. Nemo autem miretur, in tanto quinqueviratuum ambitu et imperio in regionibus remotis exercendo et in tanta quinquevirorum multitudine, iam mature, qui successuri essent, designatos esse quinqueviros. Itinera enim ad eiusmodi oppida saepe vix pluribus mensibus conficienda erant, et redeuntes haud breviori tempore Carthaginem renavigare poterant. Quod si mecum putaveris, probabile tibi quoque videbitur, hos magistratus quinquevirorum annum certe, antequam emitterentur, designatos esse. Hoc eo facilius fieri poterat, cum quinqueviri sibi ipsi eligerent successores et sine ulla mercede hunc magistratum gererent. Haec vero creandi potestas tam clare optimatum principatum prodit, ut Aristoteles hunc paucorum esse dominatum verissime censeat; nam philosophi verba et sententia prohibent, quominus hi quinqueviratus ad populum referantur. Qui enim multarum et maximarum rerum domini sunt, qui ipsi summis magistratibus iisque gratis funguntur, qui primarium senatus collegium sibi creant, qui abdicato quinqueviratu in illum ordinem recipiuntur

et diutius ceteris magistratibus regnant: hi nonnisi ex potentissimis civitatis familiis eligi possunt.

Supra iam demonstravi, collegium centumvirorum non solum a redeuntibus ducibus rationem exegisse eorum, quae gessissent, verum etiam cunctam externam gubernationem moderatum esse. Externas autem provincias administrare non minoris erat momenti quam bella gerere, et regressos quinqueviros sine dubio centumviris iudicibus procurationis et rerum gestarum rationem aeque reddere oportebat ac duces reversos. Quam severa haec iudicia florentissimis Poenorum rebus fuerint, multa exempla docent. Itaque mirandum non est, quinqueviros summo studio id spectasse, ut molestam illam centumvirorum auctoritatem minuerent, aut callide a se averterent. Facile autem hoc fieri poterat, quia non solum centumviri ex senatoribus, ideoque ex optimatibus creabantur, sed etiam quinqueviri ex proceribus cooptabantur. Plurimi igitur eorum intererat sibi conciliari Iudices tam potentes, ut una cum iis auctoritate et imperio vigerent. Quibus artibus hoc effectum

sit, ut quinqueviri se ipsi eligerent et centumviros quoque, nullum nobis quidem exstat historiae documentum, res ipsa tamen ab Aristotele narratur. Quod si autem ad gentium nobilium conditionem et commune optimatum commodum respicimus, et accuratius huius concilii rationem consideramus, inprimis autem nobiscum reputamus, *omnes fere centumviros antea quinqueviratu functos fuisse*, et quinqueviros designatos sperare potuisse, fore ut deposito quinqueviratu centumviri fierent: nullo modo dubitare licet, quin interiori amicitia se amplexi sint, quae tandem ad consuetudinem tam familiarem processerit, ut communia inter se haberent convivia, quae sodalitatum speciem aliquam prae se ferrent *). Haec sunt τὰ συσσίτια τῶν ἑται-

*) Admirabilis est etiam in hac re similitudo τῶν δεκαρχιῶν Lacedaemoniarum et τῶν πενταρχιῶν Carthaginiensium. Decemviri enim, quos Lysander elegit, ut in expugnatis urbibus summum imperium tenerent, fidelissimi eius erant amici et inter se arcto familiaritatis vinculo coniuncti. Qua ex causa eorum potentia celeriter felices habebat progressus et late patebat. Plutarchus eadem voce utitur qua

ρειῶν, quibus ita inter se devincti tenebantur, ut, „qui unum eius ordinis, idem omnes adversos haberet“ *). Quum hac familiaritate tam arcta eorum opes essent auctae et potestas firmata, centumviri inso-

---

Aristoteles, cum de intima optimatum amicitia loquitur et sodalitates Carthaginiensium describit. Verba eius, quibus memoratu dignissima τῶν ἑταιρειῶν ratio confirmatur, haec sunt: (c. 13.) ὁ Λύσανδρος καταλύων δὲ τοὺς δήμους καὶ τὰς ἄλλας πολιτείας, ἕνα μὲν ἁρμοστὴν ἑκάστῃ Λακεδαιμόνιον κατέλιπε, δέκα δ' ἄρχοντας ἐκ τῶν ὑπ' αὐτοῦ συγκεκροτημένων κατὰ πόλιν ἑταιριῶν. Καὶ ταῦτα πράττων ὁμοίως ἔν τε ταῖς πολεμίαις καὶ ταῖς συμμάχοις γεγενημέναις πόλεσι, παρέπλει σχολαίως, τρόπον τινὰ κατασκευαζόμενος ἑαυτῷ τὴν τῆς Ἑλλάδος ἡγεμονίαν· οὔτε γὰρ ἀριστίνδην, οὔτε πλουτίνδην ἀπεδείκνυε τοὺς ἄρχοντας, ἀλλ' ἑταιρίαις καὶ ξενίαις χαριζόμενος τὰ πράγματα, καὶ κυρίους ποιῶν τιμῆς τε καὶ κολάσεως, πολλαῖς δὲ παραγινόμενος αὐτὸς σφαγαῖς καὶ συνεκβάλλων τοὺς τῶν φιλῶν ἐχθρούς κ. τ. λ. — Cornelius Nepos in Lysandro c. 1. idem narrat his verbis: „Horum (Decemvirorum) nemo admittebatur, nisi qui aut eius hospitio contineretur, aut, se illius fore proprium, fide confirmarat.“

*) Livius XXXIII, 46.

lentius agere coeperunt, et postea tanto fastu et animo tam atroci se gesserunt, ut soli imperium exercerent, cuius rei Livius exemplum attulit 1). Hannibal enim Quaestorem ad se convocavit. Hic pro nihilo habuit, Hannibalem Praetorem factum esse, eiusque mandatum minime aestimavit 2) et, „quia ex quaestura in Iudices, potentissimum ordinem, referendus esset, iam pro futuris mox opibus animos gerebat.“ Contumax iste Quaestor, cui civitatis aerarium et reditus commissi erant, fuit sine dubio unus e quinqueviris, quod tantarum rerum procurationem administrabat. Qua ex causa Hannibalis dicto audiens non erat, cum paulo post deposito quinqueviratu se adscriptum iri in centumvirorum collegio sperabat, et ab amicis tam potentibus et tam constanter mutuam opem sibi ferentibus auxilium se impetraturum esse praevidebat. Manifestum est ex hac narratione, quid Aristoteles indicare voluerit his verbis: *αἱ πενταρχίαι πλείονα ἄρχουσι χρόνον τῶν ἄλλων· καὶ*

1) l. c.
2) Vid. commentt. ad h. l.

γὰρ ἐξεληλυθότες ἄρχουσι καὶ μέλλοντες. Quinqueviros nempe iam antea magistratu aliquo functos esse oportebat, priusquam ad quinqueviratum accederent, et cum quinqueviratu se abdicassent, in ordinem Iudicum recipiebantur; ergo antea et posthac magistratum aliquem gerebant. Quamdiu autem singuli quinqueviratus officia sua exercuerint, et tunc aliud munus publicum administraverint, evidenter quidem definiri nequit, sed probabilem rationem ex Livio *) colligendam esse censeo. Hannibal enim, cum licentiam et nimiam potestatem centumvirorum coërciturus esset, legem promulgavit pertulitque: „ut in singulos annos Iudices legerentur". Quinqueviri autem non sine magno temporis dispendio in suas provincias abire et redire poterant, quoniam multae urbes in longinquis regionibus sitae erant et saepe anni spatium vix sufficiebat ad utrumque iter conficiendum. Per hoc tempus quinqueviratus imperium exercere quidem non poterant, cum nondum in urbem ipsorum gubernationi destinatam ad-

*) l. c.

venissent, attamen magistratus (ἄρχουσι) iam erant. Aristoteles declarat, quinqueviratus diutius quam ceteros magistratus regnasse. Ad magistratus autem Sufetum dignitatem quoque referendam esse supra ostendi; Sufetes vero annui magistratus erant; ergo quinqueviri anno diutius, ergo ad minimum duo annos imperium exercebant. Cum autem inter hos et centumviros amicitia tam singularis intercederet, ut se ipsi eligerent et centumviros quoque: tunc facile fieri poterat et omnino factum est, ut duobus annis praeterlapsis non omnes ex quinqueviratu excederent *), sed iidem iterum a se crearentur, ut continuum saepe fieret eorum munus atque magistratus. Sic res profecto se cum centumviris habuit; nam eadem lege, quam Hannibal tulerat, vetitum quoque erat, „ne quis biennium continuum Iudex esset"; quod antea factum esse ex hoc inter-

*) Diversa videtur docti Coraii sententia ab hac mea ratione exposita. Dicit enim: ὑφ' αὑτῶν αἱρετὰς εἶναι i. e. ὥσθ' ἑνὸς τῶν πέντε ἀπογενομένου, τοὺς καταλειφθέντας τέσσαρας αἱρεῖσθαι τὸν πέμπτον. Schol. Graec. p. 278.

dicto liquet. Quae autem officia tam grata centumviri sibi praestiterint, ea quinqueviros sibi quoque praestitisse probabile est. Quam ob causam singulorum quinqueviro-rum administratio ad certum temporis spatium redigi non potest, quoniam non omnes quinqueviri praeterlapso duorum annorum spatio singulis quinqueviratibus excessisse, sed unus alterve denuo creati videntur. Hoc modo eorum imperium extentum et continuum erat in plures annos; quo facto idem accidit, quod apud centumviros factum videmus. Cum enim quinqueviri ex quinqueviratu in ordinem Iudicum referrentur et numerus quinqueviro-rum non exiguus esse posset: facile intelligitur, centumvirorum collegium maximam partem viris antea quinqueviratu defunctis constitutum, et hanc potissimum causam fuisse, cur hoc sanctius collegium (ἡ γερουσία) gravissimas causas et externarum urbium gubernationem moderaretur, temperaret, diiudicaret. Etenim hi amplissimi viri provinciarum conditionem, incolarum indolem, locorum naturam, fertilitatem accu-

rate cognoverant, et reditus, agrorum fructus, opulentiam et opes experientia docti taxare et ad calculos vocare poterant.

Quum igitur a quinis viris in quovis externo oppido tale imperium exercitum sit, quid obstat, quominus Carthagine quoque talis quinqueviratus fuerit? Aristoteles enim narrat, quinqueviratus multarum et magnarum rerum dominos fuisse, quod, cum ita de summis tantum magistratibus loquatur, omnino ad summum imperium referri debet. Vix enim dubitari potest, quin Carthagine quinqueviratus *), ad quem ceteri in externis urbibus accommodati essent, institutus fuerit, et ex principibus, qui inter proceres Punicos primum tenerent locum,

*) Praeclarus Müllerus etiam putat, quinqueviros Carthagine proximos fuisse sufetibus dignitate; in eo autem errat, quod non ad quinqueviratus ceteros, qui in externis urbibus summum tenebant imperium, respexit. Dubitari enim nullo pacto potest, quin multi fuerint quinqueviratus, cum Aristoteles plurali numero utatur. Vid. Müller's sämmtl. Werke. T. I. p. 105. Conf. Heeren in: Ideen über die Politik etc. 2. T. p. 143. Not. 2. Edit. III.

constiterit. Iam supra vidimus, Quaestoris munus ad quinqueviratus pertinuisse, et in omnibus externis urbibus post Sufetes amplissimum fuisse magistratum. Livius 1) exemplum affert: „Mago, dux Carthaginiensium, quum Gades repetisset, ad Cimbim (haud procul Gadibus is locus abest) classe appulsa ad colloquium Sufetes, qui summus Poenis est magistratus, cum Quaestore elicuit". Simili modo haec opinio confirmatur a Livio 2), qui principes et certos quosdam magistratus (quinqueviros) vectigalibus (Carthagine) cogendis praefuisse testatur. In eodem ordine ponendi etiam sunt provinciarum praesides, quos Polybius 3) στρατηγούς nominat, quorumque dominatus et potestas maxima erat, et potissimum cernebatur in vectigalibus exigendis, quibus aerarium Carthagine ditaretur. Hic divitiarum colligendarum conatus in republica eos insignes reddidit et optimatibus acceptos. Talis quinquevir Hanno

1) XXVIII, 37.
2) XXXIII, 45.
3) I, 72.

quidam fuit 1), cuius insatiabilis pecuniarum cupido et immensum aerarii ditandi studium animos Afrorum tandem ita exacerbavit, ut rebellarent et ad Mathum et Spendium deficerent. Ad hos quinqueviros pertinere quoque videtur magistratus quidam a Graecis scriptoribus *Βοήθαρχος* appellatus. Bene quidem scio, hac vocula saepe ducem auxiliorum seu mercenariorum militum significari, sed apud Carthaginienses alia fuit huius magistratus ratio. *Βοήθαρχοι* nominabantur, qui urbi alicui aut regioni praefecti erant ad eam tuendam, ad incolas, quorum fides ambigua esset, custodiendos et coërcendos, ad defendendam provinciam contra hostes, ad summum imperium in ea sustinendum. Haec autem munia tam proxime accedunt ad quinquevirorum officia, ut dubitari non possit, quin magistratus *τῶν βοηθάρχων* ad quinqueviratus omnino pertinuerit. Talis *βοήθαρχος* fuit Bostarus, Carthaginiensium exercitui in S a r d i n i a praefectus 2); talis *βοήθαρχος* fuit Carthalo,

1) Polyb. l. c.
2) Polyb. I, 79.

quem 1) ex hoc magistratu suo regionem sibi tutandam traditam obire, et armis securitatem et incolumitatem incolarum servare oportebat. Alius *βοήθαρχος* capite LXX memoratur 2), qui Carthagini a Romanis iam vexatae praefectus erat. Paulo post 3) Hasdrubal creatus est *βοήθαρχος* Carthaginis, qui cum 25000 peditum et 400 equitum urbe egressus contra appropinquantem Masinissam pugnavit. Quinquevir omnino fuisse ille Praefectus morum videtur, cuius Nepos mentionem facit in vita Hamilcaris. Cum enim maledici quidam in vulgus edidissent, „hunc cum adolescente illustri atque formoso consuetudinem habere turpem: praefectus morum vetuit, ne Hamilcar diutius eius familiaritate uteretur." Qui autem summo duci talia interdicit, eum maxima dignitate ornatum esse oportet, quod non nisi de quinqueviris dici potest, qui

1) Appianus in Pun. 68: *Καρθάλωνα βοήθαρχον ὄντα, καὶ ἐπὶ τῇδε τῇ ἀρχῇ τὴν χώραν περιιόντα.*

2) 602 p. U. C.

3) a. U. 604.

Aristotelis testimonio summarum rerum domini erant.

Ad amplissimum quinqueviratuum honorem Sacerdotium quoque referendum esse arbitror, quod apud Carthaginienses per haereditatem capessebatur, et ab iis administrabatur, qui genere et virtute eminerent. Sacerdotes autem singulare 1) efficiebant collegium, sacrorumque cura non cum aliis muneribus publicis coniuncta erat. Huic non repugnat, duces bello res divinas peregisse. Certum enim est 2) Hamilcarem sacra fecisse in Sicilia; alium Hamilcarem 3) Deo marino solemnia sacra patrasse; Hamilcarem, Hannibalis patrem 4), in templo Baalis Carthagine sacrificasse, et Hannibalem Magnum Iovi, i. e. Baali sacrificia sol-

1) Conf. Iustin. XVIII, 5. Praeclarus Münterus (Religion der Karthager, 2. Aufl. p. 143) contrariam sequitur opinionem; sed ex Iustino nostram sententiam recte defendi posse patet.

2) Diod. XIII, 86. Wessel. I, p. 610.

3) Id. XI, 21. I, p. 420.

4) Appian. Hisp. p. 431. Bell. Hannib. p. 544. Liv. XXI, 1.

visse 1), antequam ad bellum cum Romanis proficisceretur. Haec et his similia sacrificia privata a multis, qui dignitate, genere et amplo munere insignes erant, perfici omnino poterant: sacerdotibus autem deorum patriorum veneratio et antiqua religio curae erat, et inprimis Herculis Tyrii cultus atque sacra ab iis magna cum pompa celebrabantur et in externas colonias introducebantur. Huius praeclari Dei sacerdos sine dubio semper e quinquevirorum collegio eligebatur, quoniam apud Tyrios Herculis sacerdos proximus dignitate Sufeti erat 2). Cum autem Melcart sive Hercules inter summos Poenorum deos referretur, huic etiam augustior cultus et illustrior sacrorum antistes ex principibus Carthaginiensium cooptabatur, qui tanquam pontifex maximus apud eos habendus est. Recte autem concluditur, hunc sacerdotem primarium locum post Sufetes Carthagine tenuisse, cum talem dignitatis gradum Sacerdos Herculis apud Tyrios, quos imitati sunt Cartha-

1) Nepos Hannib. 2.
2) Iustin. XVIII, 4.

ginienses, habuerit. Cum vero post Sufetes Carthagine regnantes quinqueviratus primum locum teneret, in hoc ipso quinqueviratu sine dubio sacerdos Herculis princeps fuit vir. Sacra autem Herculis in ceteris omnibus oppidis externis et expugnatis magna cum diligentia instituebantur; quare in quinqueviratibus singulis, qui emittebantur, ut summum in illis exercerent imperium, certe principatus etiam Herculis sacerdoti datus est. Quanta autem fuerit sanctitas huius sacerdotii, testis nobis est Iustinus. Malchus Carthaginiensium dux, patria exul, quod gravi proelio victus esset, armatus cum exercitu ad urbem venit, et venia non impetrata Carthaginem obsidione cinxit *). Interea Carthalo, Malchi exsulis filius, a Tyro, quo decimas Herculi ex praeda Siciliensi tulerat, praeter castra patris revertebatur. Quod cum imperator audisset, filium ad se vocari iussit. Hic non obediit, sed prius publicae religionis officia, quam privatae pietatis exsequenda esse re-

*) Iustin. XVIII, 7.

spondit. Quam rem etsi pater indigne ferret, vim tamen religioni inferre non ausus est *). Interiectis deinde diebus, cum populus vehementer commeatum, qui a Malcho intercluderetur, peteret, Carthalo ad patris animum flectendum rediit ornatus purpura et infulis sacerdotii; sed ab irato patre in crucem affixus est. Hic Carthaginiensium pontifex maximus sine dubio princeps inter quinqueviros fuit, eiusque pater religionis verecundia permotus iram repressit. Cum autem paulo post filius ad publica negotia componenda a Poenis legatus accessisset, pater odium in hos amplissimos magistratus, quorum severo iudicio poenam tam indignam lueret, cohibere diutius non potuit, et filium, quod particeps esset huius imperii, crudeli supplicio affecit.

Itaque ex scriptorum narrationibus recte coniici potest, antiquissimam civitatis gubernationem Carthagine ex Sufetibus, ex quinqueviris, ex senatu et populo constitutam

*) Iustin. l. c.

fuisse *). Collegium centum virorum post praeclari Magonis tempora electum est, et concilium centum et quatuor virorum ante centumvirorum aevum institutum erat, quamquam eorum coetus initio non tam frequens fuerit, sed postea incolarum frequentia, negotiorum multitudine, causarum et controversiarum varietate et divitiarum incrementis ad tantum numerum auctus. Munera autem singulorum quinqueviroram in quovis quinqueviratu mihi accuratius scriptorum narrationes conferenti haec fuisse videntur. Primum locum tenuit Sacerdos Herculis, secundum Quaestor, tertium Boëtharchus, quartum Praefectus morum sive Censor, sive Iudex, et quintum Magistratus quidam, cuius tituli et officii nulla invenitur certa apud scriptores mentio. Non difficile est munia uniuscuiusque quinqueviri accuratius percensere. Sacerdos res sacras peragebat; Quaestor vectigalium et aerarii curam habebat; Boëtharchus praesidiis et militiae praefectus in urbe eiusque territorio summum militare imperium tenebat et mercenarios

*) Conf. Iustin. XVIII, 4. 7. Polyb. III, 33.

milites conscribebat; Censor sive Praefectus morum internam civitatis administrationem moderabatur et ius dicebat; quintus, quem Aedilem municipalem appellare velim, omnibus negotiis praefuit, quae ad agriculturam, ad commercium, ad navigationem, ad annonam, ad officinas et ad alia eiusmodi pertinebant.

CAPUT DUODECIMUM.

Tota haec disputatio versatur in refellendo Schneidero. Vigeri explicatio a Zeunio et Hermanno probata; a Schneidero vehementer impugnata; ab auctore graviter defensa. Ceterorum commentatorum interpretatio laudatur. Demonstratio grammatica, logica, historica. Giphanius egregie de quinquevirorum magistratu disputavit. Piccarti opinio.

Haec de probabili quinqueviratuum ratione sufficiant. Restat ut critici partibus satisfaciam, et totum hunc locum, inprimis verba καὶ γὰρ ἐξεληλυθότες ἄρχουσι καὶ μέλλοντες contra Schneiderum defendam. Vehementer enim impugnavit ea Vir venerabilis et „stupore fere perculsus est, quod commentatores in interpretando hoc loco tantos errores committere potuerint, immo vix oculis suis credidit, mendosam istam interpretationem τῶν μελλόντων, quam Vigerus dederit, a duumviris illis, qui nuper Vigerum emendarint, silentio probatam esse, et tam enorme peccatum commissum". Dicit autem Vigerus (p. 263 ed. Hermanni): „Apud Aristotelem potissimum οἱ μέλλοντες opponuntur τοῖς ἐξεληλυθόσι; quemadmodum apud Romanos designati magistratus opponuntur magistratu iam defunctis. Dici ergo potest, οἵ τε τοῦ ἄρχειν ἐξεληλυθότες καὶ οἱ μέλλοντες, tam qui magistratu abierunt, quam qui magistratus designati sunt".

Haec vehementer improbat Schneiderus et emendationem omnino desiderari censet.

In omnibus enim libris scriptis et editis legitur: ἐξεληλυθότες ἄρχουσι καὶ μέλλοντες. Schneiderus emendat: μένοντες, Sylburgii coniecturam secutus *) etiam a Conringio probatam, et ineptam esse vulgarem lectionem demonstrare conatur. Quamquam omnes commentatores existimarunt, ἐξεληλυθότας significare eos, qui defuncti magistratu sint, et μέλλοντας, qui capturi magistratum: reiicit tamen Schneiderus hanc interpretationem, et suis argutiis ita persequitur, ut sensus omnino ineptissimus efficiatur. Verba eius haec sunt: „Vix credibile videtur tot viros, (i. e. omnes Aristotelis commentatores) quos Schlosserus et Garvius duces sequuntur, in uno verbo μέλλοντες interpretando omnes aberrasse et cum vitium in eo absconditum subodorati non essent, sententiam totius loci pervertisse. Verbum ἐξεληλυθότες vertunt: defuncti magistratu,

*) Idem fecit Coraius. In scholiis graecis p. 278. haec dicit: Μένοντες. Τοῦτο κατεχώρισεν ἐκ διορθωσέων τῶν ἑτέρων ὁ Σνεϊδέρος εἰς τὸ κείμενον, ἀντὶ τοῦ μέλλοντες. Ὁ γὰρ νοῦς, Οἱ πεντάρχαι καὶ ἐξερχόμενοι τῆς Καρχηδόνος ἄρχουσιν, ἐφ᾽ ἃς πέμπονται πόλεις ἢ χώρας, καὶ οἴκοι μένοντες.

quod interim illis concedamus, quamquam male factum; sequens igitur μέλλοντες debebant ad idem verbum(!) referre, itaque μέλλοντες ἐξέρχεσθαι, vel ἐξελεύσεσθαι vertere: „et qui defuncturi erunt(!)“ Quem sensum verborum cum illi absurdum et a re alienum animadvertissent, eo devenerunt, ut verterent, quasi μέλλοντες ἄρχειν scriptum esset. Verum nolo commemorare ineptias dictionis et sensus, si dicat Aristoteles ἐξεληλυθότες ἄρχουσι καὶ μέλλοντες ἄρχειν ἄρχουσι(!!!) (at Aristoteles non ita dixit); usum linguae constantem(?) urgeo, qui postulat, ad verbum antecedens ut referatur sequens μέλλω, sive participium sive tempus aliud usurpetur.“ — Miror, cur vir doctus tanta sagacitate haec verba premat et in excogitando sensu tam inepto ita promptum se praebeat, cum in multis aliis locis maiores constructionis et orationis difficultates leviori censura notet et philosophi dictionis brevitatem excuset. Utinam pari aequitate et iusta interpretandi ratione usus esset Schneiderus hunc locum interpretaturus, et Aristotelis obscuritatem, sermonis concinnitatem, nimiam brevitatem, saepe vel affectatam,

secum reputasset haec verba explanaturus; utinam hoc loco ad singularem et peculiarem philosopho dicendi rationem respexisset, et ad has leges commentatus esset! Omnes enim difficultates tolluntur et ineptiae removentur, si adhibeas simplicissimam interpretationem. Manifestum enim est, ἐξεληλυθότας et μέλλοντας ex Aristotelis sententia neque ad ἄρχειν neque ad ἐξεληλυθότες referri debere, sed aperte ad πενταρχίας, ut sensus simplicissimus hic sit: Quinqueviri non modo magistratum aliquem ineunt, cum quinqueviratu abdicaverunt, (ἐξεληλυθότες sc. ἐκ τῶν πενταρχιῶν,) sed munus quoque publicum aliquod iam gerunt usque ad id temporis momentum, cum quinqueviratum capturi sunt, i. e. cum sunt designati (μέλλοντες sc. πεντάρχαι ἔσεσθαι aut ἐλεύσεσθαι εἰς τὰς πενταρχίας.) Haec concinna dicendi brevitas tam frequens est Aristoteli, ut interpretes omnes fateantur, locos multo difficiliores inveniri, in quibus verborum structura non solum durior, sed etiam sententiarum nexus obscurior sit. In verbis ἐξεληλυθότες et μέλλοντες subiecti latent πεντάρχαι, qui ex abstracto πενταρχίαι eliciendi sunt, et

ἄρχουσι idem valet, quod ἄρχοντές εἰσι, i. e. magistratus sunt, magistratum aliquem gerunt.

Aristoteles supra iam dixerat, in republica Carthaginiensi instituta aliqua reperiri, quae in ceteris civitatibus desiderarentur, et capite XIV et sequentibus vitia quaedam huic civitati *propria* enumerat, inprimis autem vituperat, quod plures magistratus a singulis viris administrari possint. (τὸ πλείους ἀρχὰς τὸν αὐτὸν ἄρχειν.) Haec reprehensio non solum ad Sufetes spectat, qui ducis imperium cum regia dignitate coniungebant, sed etiam ad quinqueviros, qui, antequam quinqueviratum auspicarentur, iam magistratum aliquem gerebant, (ἄρχοντες ἤδη εἰσί, i. e. ἄρχουσι) et, postquam munere abdicaverant, ad priorem magistratus administrationem quinqueviratu interruptam iterum accedebant. Ex tota enim mea disputatione apparebit, plurimos quinqueviros *in Iudicum ordine* (quod erat sanctius senatus concilium) *iam fuisse eiusque officia exercuisse*, priusquam quinqueviratum adirent, et, cum quinqueviratu ab-

iissent, iterum in idem collegium rediisse: ergo ante et post quinqueviratum magistratus erant, ergo pentarchae duplex munus gerebant. Ita magistratuum ratio, munerum vices, interior amicitia, Aristotelis paradoxa narratio, totius loci interpretatio servatur, illustratur, demonstratur; ita sententiae commentatorum, quorum nullus, Sylburgio excepto, in hoc loco interpretando offendit, conciliantur, defenduntur, confirmantur.

Sed Schneiderus negat ἐξέρχεσθαι τῆς ἀρχῆς dici posse de iis, qui magistratu defuncti sint, quod neque apud Aristotelem neque apud alios huius dictionis exemplum allatum viderit aut repererit. Sed quid inde sequitur? Cum Aristoteles, ut Schneiderus ipse fatetur, βαδίζειν, ἔρχεσθαι εἰς et πρὸς τὰς ἀρχὰς dixerit, cur non eodem iure ἐξέρχεσθαι τῶν ἀρχῶν dicat? Itaque non adeo multum interest, utrum locus inveniatur ad probandum hunc dicendi usum, cum hoc ipso exemplo haec vis τοῦ ἐξέρχεσθαι perspicue confirmetur. Sed Schneiderus contradicit, et vitium re-

sidere in μέλλοντες arbitratur. Itaque coniecturam Sylburgii secutus μένοντες pro μέλλοντες scribendum esse censet, et hanc lectionem in textum recepit.

Ex hac emendatione τὸ ἐξέρχεσθαι proprio sensu intelligitur et opponitur τῷ μένειν. Ἐξεληλυθότες igitur sunt tales magistratus, qui emitti solebant ex urbe Carthagine, ut regerent vel provincias vel singulas civitates, (hoc verum est, sed his verbis hoc loco non exprimitur,) et μένοντες sunt, qui imperium (quale fuerit hoc imperium, Schneiderus non quaerit) etiam retinebant, cum non egressi in provincias vel civitates domi manerent. Hoc ita fuisse lubenter concedimus, sed propterea hac emendatione opus non erat, contra quam, etsi egregia sit, haec monenda sunt. Schneiderus in eo mecum consentit, quod quinqueviri, antequam ad hos magistratus accederent, iam magistratum aliquem gererent; cum igitur πεντάρχαι facti sint, nemo mirabitur, eos quoque huius magistratus officia exercere. Ridiculum esset, si philosophus aliquid indicasset, quod per se intelligeretur,

et tamen haec fuisset eius sententia, si *μένοντες* scripsisset. Quando autem nondum exierunt, sed domi manent, aut modo designati sunt, quis dubitet, quin etiam magistratu suo, quem adhuc gesserint, fungi pergant? Superfluum etiam esset, si Aristoteles hoc loco prioris magistratus functionem commemoravisset, quae novo magistratu nondum interrupta erat. Quid igitur Schneiderus hac emendatione sua vult? *Πεντάρχαι μένοντες ἄρχουσι*, quinqueviratus magistratum gerunt, si manent? Perpendas quaeso, quam supervacaneum et oscitanter hoc ab Aristotele dictum sit! Nonne haec est *ταυτολογία* fere intolerabilis: magistratus regnant, si manent? Nonne per se luce clarius est, eos, cum in urbe maneant et quinqueviratu nondum abdicaverint, magistratum quoque gerere; et cum exierint in provincias et urbes, etiam tum magistratum sustinere? Quid ergo languidius et inanius cogitari possit, si talis sit Aristotelis sententia? Restitui igitur lectionem *μέλλοντες*, ab antiquissimis libris et interpretibus probatam, ab omnibus commentatoribus confirmatam et a me satis expositam. Im-

merito Schneiderus impugnat sententiam Giphanii tam ingeniose et acute iudicantis, qui tantum abfuit, ut solus inter commentatores aberraret a vero sensu, ut potius solus hanc interiorem quinqueviratuum et centumvirorum coniunctionem, de qua supra disputavi, intelligeret, mihique viam muniret, qua ulterius progressus sum *).

*) Eius sententia haec est: „Erant Carthagine duo summi magistratus, Quinqueviratus et Centumviratus, quorum haec erat ratio designandorum, ut quinqueviri non ex optimo quoque neque ab omni civitate, sed a se ipsi ex Centum viris, id est, eorum arbitratu deligerentur. Quod oligarchicum esse Aristoteles hoc loco et libro quarto Politicorum censet. Deinde paucorum dominatum prodit etiam hoc, quod iidem in perpetuo fere sint magistratu, quia administrato scilicet centumviratu fiant post quinqueviri: qua continuatione fit, ut diutius in magistratu sint, quam reliqui omnes in eadem republica; oligarchicum enim est, prorogare sibi imperia et continuare magistratus. His igitur duabus in rebus respublica Carthaginiensis ad paucorum dominatum potius quam ad optimorum dominationem spectare videtur." — Haec magistratus continuatio eo magis ad paucorum principatum vergit, quod quinqueviri, cum ex provinciis et oppidis regressi essent, iterum in

collegium centumvirorum redibant, et tempus aliquod etiam hoc magistratu fungebantur, ita ut totum centumviratum, etiamsi post biennium aut triennium ex eo exierint, maximam partem ex quinqueviratu defunctis et designatis constitutum esse oporteret.

Piccartus in Comm. in Aristot. Polit. p. 312. quaerit: „an fortasse, cum apud Iudaeos dicerentur τετράρχαι, qui, divisa tota Iudaea in quatuor partes, singulis partibus praeessent, Carthago etiam in quinque partes tributa fuerit, singulisque unus πεντάρχης praefuerit"? — Egregie de voce Τετράρχης disputat Schneiderus in adnott. ad h. l.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Quinqueviri magistratu gratis funguntur; a se ipsi creantur. Iudicia et iurisdictio memoratu digna. Lacedaemoniorum et Carthaginiensium iudicia conferuntur. Locus obscurus ab interpretibus vario modo explicatus. Schneiderus locum mendosum putat; emendare conatur. Alia narratio Aristotelis huic emendationi et sententiae contradicit. Secunda Schneideri emendatio. Livii narratione utraque emendatio tollitur. Coraius Schneiderum secutus.

---

*Τὸ δ' ἀμίσθους καὶ μὴ κληρωτὰς, ἀριστοκρατικὸν θετέον, καὶ εἴ τι τοιοῦτον ἕτερον. Καὶ τὸ τὰς δίκας ὑπὸ τῶν ἀρχείων πάντων *) δικάζεσθαι πάσας, καὶ μὴ ἄλλας ὑπ' ἄλλων, καθάπερ ἐν Λακεδαίμονι.*

Varr. lectt. *) Aldina et vetus interpres omittit *πάντων*; in Aretino, in Basil. et in ceteris legitur.

Ad formam autem dominationis optimatum accedere statuendum est, quod quin-

queviri nullam mercedem accipiant, neque sorte ducantur, et si quid eiusmodi est. Deinde quod omnes causae a cunctis magistratuum collegiis, nec aliae ab aliis decernantur, ut Lacedaemone fit.

In his verbis maximae difficultates reperiuntur, vehementer auctae commentatorum explicationibus; quae prius aut refellendae aut magis firmandae erunt, quam locum ipsum explanabimus. Priora verba nullum facessunt negotium. Aristoteles existimat ad optimatum imperium referendum quoque esse, quod quinqueviri sine mercede munera gerant, nec sorte eligantur. Verba εἴ τι τοιοῦτον ἕτερον mihi supervacanea aut transposita videntur. Cur enim ab Aristotele reticentur cetera, quae optimatum dominationem testantur, cum, quae dixit de quinqueviratibus, obscura et difficilia intellectu sint, et, nisi ex aliis scriptoribus petantur documenta, non sufficiant ad illam procerum dominationem evidenter demonstrandam? Si nihil aliud afferre voluit, ineptum erat, haec verba addere, quibus nihil probatur, et, si quid aliud cognoverit, non bene convenit cum philosophica demon-

strandi ratione, quod non uberius descripserit cetera instituta, quae ad gubernationem optimatum spectant.

Duplex eaque contraria est commentatorum interpretatio. Victorius et cum eo Schlosserus et Garvius Aristotelis verba ad **omnes magistratus** Carthaginiensium referunt, eosque omnes sine mercede nullaque sorte electos munera publica administrasse arbitrantur. Plures ambigue vertunt, ut manifestum non sit, quomodo haec intellexerint. Recte Heinsius et cum eo Schneiderus censet, τὸ *ἀμίσθους καὶ μὴ κληρωτὰς εἶναι* ad pentarchias adtinere, quod non solum verborum structura, sed etiam sententiarum nexus desideret. Etenim si ad omnes haec narratio spectaret, tum *ἀρχαί* antecedere debuerat, cui responderet *κληρωτάς*; quod cum factum non sit, haec adiectiva ab antecedente vocabulo *πενταρχίας* pendent.

Quae sequitur altera orationis pars difficultatibus quam maximis premitur, sive ad sensum, sive ad verba, sive ad alios locos cum hoc comparandos respicias; quam ob rem omnes fere commentatores de recta

interpretatione desperantes mutandis aut inserendis verbis locum sanare tentarunt. Plurimi vertunt τὰ ἀρχεῖα: magistratus; quo nihil certi efficitur. Schlosserus distinguit τὰ ἀρχεῖα a ceteris magistratibus et interpretatur: „die oberen Regenten," et Sufetes cum senatu intelligit; at falsa esse et Aristotelem in eo errasse putat, quod non penes Sufetes et Senatum, sed penes centumviros de gravissimis causis iudicandi potestas fuerit. Hac autem opinione confunduntur et miscentur magistratus centumvirorum et centum et quatuor virorum, et sententia magis perturbatur quam illustratur. Garvius τὰ ἀρχεῖα magistratus vertit, non definiens, qui fuerint hi magistratus. In errorem autem incidit, quod addit: „Nicht wie in Sparta, wo die Richter zum Theil Privatpersonen sind:" itaque opinatur Lacedaemoniorum iudicia a privatis civibus alia ab aliis fuisse exercita; cum tamen contraria ratio demonstrari possit.

Ambigunt commentatores, utrum tertium orationis membrum: *καὶ τὸ τὰς δίκας ὑπ' ἀρχείων πάντων δικάζεσθαι πάσας* ad priora verba *ὀλιγαρχικόν ἐστι*, an ad poste-

riora *ἀριστοκρατικὸν δὲ θετέον* referendum sit. Heinsius, Montecatinus, Piccartus priorem sententiam sequuntur; Giphanius, Lambinus, Victorius, Schlosserus, Garvius, Schneiderus posteriori favent. *Ἀριστοκρατικόν* omnino ad sequentia pertinet, quae de iudiciis dicta sunt, cum aliam narrationem non interposuerit Aristoteles. Victorius opinatur, sub nomine *τῶν ἀρχείων* certum quendam magistratum ordinemve indicari; attamen *ὑπὸ τῶν αὐτῶν ἀρχείων* legi mavult, quod tunc planior sit locutio nomineque *ἀρχείων* cuncti magistratus comprehendantur. Ignoravit igitur vir doctus, Aretinum et editionem Basileensem habere *πάντων*: quod a Schneidero in textu omissum recepimus *)

Sed omnes conatus haec verba ita explicandi et intelligendi vani erunt, nisi alius locus, qui huic plane adversus est et contrarium aperte dicere videtur, accuratiore

---

*) *Ἴσ. γρ.* „*ὑπό τινων ἀρχείων κ. τ. λ.*" *ἵνα συνάδῃ πως τοῖς ἑξῆς* (*Γ, ά, 7.*) „*Ἀρχαί τινες.*" *Ἡ τοῦ Ἀρετίνου μετάφρασις* omnia a cunctis iudicari *ἑτέραν ἐμφαίνει γραφὴν*, „*ὑπὸ τῶν ἀρχείων δικάζεσθαι πάντων πάσας.*" Coraius in scholiis graecis p. 278.

interpretatione explanatus fuerit. Leguntur enim tertio Politicorum libro, capite primo § 7. haec: Ἐνίαις (πολιτείαις) γὰρ οὐκ ἔστι δῆμος, οὐδ' ἐκκλησίαν νομίζουσιν, ἀλλὰ συγκλήτους· καὶ τὰς δίκας δικάζουσι κατὰ μέρος, οἷον ἐν Λακεδαίμονι τὰς τῶν συμβολαίων δικάζει τῶν ἐφόρων ἄλλος ἄλλας, οἱ δὲ γέροντες τὰς φονικάς, ἑτέρα δ' ἴσως ἀρχή τις ἑτέρας. Usque ad haec enarratio perspicua est, sed quae sequuntur priori Aristotelis sententiae contradicunt; addit enim: Τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ περὶ Καρχηδόνα· πάσας γὰρ ἀρχαί τινες κρίνουσι τὰς δίκας. Manifeste dicit philosophus, Carthagine et Lacedaemone eodem pacto administrari iudicia, cum in altero loco institutum utriusque civitatis diversum esse disertis verbis testetur. (Πάσας δίκας δικάζεσθαι ὑπὸ τῶν ἀρχείων καὶ μὴ ἄλλας ὑπ' ἄλλων, καθάπερ ἐν Λακεδαίμονι.) „Magistratus enim, ut rectissime Schneiderus censet *), si iidem iudicia omnia exercent, non potest simul dici magistratus certos

*) Polit. Tom. II., p. 151.

et diversos diversa iudicia exercere." Quum vero de Lacedaemoniorum institutis, quae Aristoteles commemorat, nullum dubium sit, vir doctus coniicit, vitium non residere in mentione eorum, sed in altera Carthaginiensium, et nullam aliam viam patere existimat, quam ut negationem *μή* inseras et ita legas: *καὶ τὸ τὰς δίκας μὴ ὑπὸ τῶν αὐτῶν ἀρχείων δικάζεσθαι πάσας, ἀλλ' ἄλλας ὑπ' ἄλλων, καθάπερ ἐν Λακεδαίμονι.* Itaque Vir venerabilis Victorii emendationem secutus *αὐτῶν* inseruit, negationem *μή* addidit, eandem ex altero orationis membro delevit, et propter oppositionem, quam prius *μή* interpositum nunc postulat, sequens *καί* expunxit, et in eius locum *ἀλλ'* posuit, ut bene procederent membra sibi opposita. In textum autem hanc emendationem non recepit, fortasse quod nimis audacem et violentam putaret, et aliam difficultatem eamque novam ex hac emendatione ortam non tolleret, sed potius augeret. Victorio enim et Schneidero locus Livii *) a nobis supra laudatus et explana-

*) XXXIII, 46.

tus non solum his emendationibus, sed etiam verbis Aristotelis contradicere videtur, sive alterum locum integrum relinquas, sive alterum emendes. Livius unum tantum iudicum ordinem perpetuosque iudices commemorat, et Aristoteles in posteriori loco de pluribus et certis magistratibus loquitur, et in priori causas ab omnibus, nec alias ab aliis diiudicari testatur. Quibus difficultatibus ductus Schneiderus, ut altera Aristotelis enarratio cum altera congruat, in posteriori loco legendum esse proponit: *οὐ τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ περὶ Καρχηδόνα.* Itaque addidit iterum negationem ex coniectura *). Quum autem pluralis numerus *τὰ ἀρχεῖα* non conveniat, sed potius *ἀρχεῖόν τι* debeat esse, fatetur tan-

*) Hanc emendationem, etsi propius ad sententiam Aristotelis et Livii accedere videatur, nullo modo concedi posse arbitror. Philosophus vult aperte exemplum afferre, quod affirmet et similem rationem amplectatur. Quam supervacaneum esset, negare, aliquid ita esse in alia civitate, cum totius orationis tenor et argumentum satis indicet, eum voluisse hoc documento probare, Carthagine etiam rem ita se habere.

dem vir doctus, dissentire Aristotelem a Livio et priorem locum philosophi vitiosum censendum esse, inprimis cum haec instituta magis ad paucorum dominatum quam ad optimorum principatum spectare videantur.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Auctor obscuram Aristotelis narrationem illustrat. Vis τοῦ ἀρχείου accuratius exponitur; nova significatio indicatur. Loci difficiles inter se conferuntur. Iudiciorum ratio apud Lacedaemonios et Carthaginienses describitur, comparatur. Contradictio tollitur nova explicatione. Aristoteles vindicatus. Livii narratio ab interpretibus falso explicata; huic iudiciorum generi prorsus aliena. Auctoris demonstratio.

Quae cum ita sint et commentatores tam parum certi efficere potuerint, nos vix meliori successu locum tam obscurum il-

lustraturos et probabili coniectura explanaturos esse confidimus. Sed fortasse difficilior visa est res interpretibus, quam per se ipsa videri debuerat. Nempe omnes inter se consentiunt, priorem Aristotelis de Carthaginiensium magistratibus sententiam posteriori contradicere, et Livii mentionem de iudicum ordine non solum cum utraque descriptione pugnare, sed etiam prohibere, quominus tertia notio statuatur. Num vero res omnino ita se habet? an speciosa tantum est contradictio? poteritne inveniri ratio, quae conciliet inter se narrationes tam diversas?

Ante omnia vis verbi ἀρχεῖον accuratius definienda est, quam a commentatoribus definita videtur. Recte quidem putatur, τὸ ἀρχεῖον proprie significare c u r i a m magistratuum, l o c u m, in quem senatores conveniunt: sed Aristoteles hoc verbo utitur ad indicandum c o l l e g i u m ipsum, m a g i s t r a t u u m c o n v e n t u m, c o n c i l i u m m a g i s t r a t u u m aut i u d i c u m, et cunctorum magistratuum frequentiam et consessum. Hoc patebit ex sequentibus locis. Aristo-

L

teles 1) vitia quaedam reipublicae Lacedaemoniorum recenset, et inter alia etiam pravam ephoratus conditionem vituperat, nam: πολλάκις ἐμπίπτουσιν ἄνθρωποι σφόδρα πένητες εἰς τὸ ἀρχεῖον (in collegium recipiuntur); οἳ διὰ τὴν ἀπορίαν ὤνιοι ἦσαν. Eodem capite 2) de ephoratu dicit: Συνέχει μὲν οὖν τὴν πολιτείαν τὸ ἀρχεῖον (collegium) τοῦτο. Libro II, c. 7, 5. de cosmatu Cretensium: ὃ μὲν γὰρ ἔχει κακὸν τὸ τῶν ἐφόρων ἀρχεῖον. Libro V, 3, 5: Μεταβάλλουσι δὲ καὶ εἰς ὀλιγαρχίαν καὶ εἰς δῆμον καὶ εἰς πολιτείαν ἐκ τοῦ εὐδοκιμῆσαί τι ἢ αὐξηθῆναι ἢ ἀρχεῖον (cunctus magistratus) ἢ μόριον τῆς πόλεως. Libro quarto c. 12, 4: Πολλούς τε γὰρ εἰς τὰ ἀρχεῖα ἐνδέχεται βαδίζειν, διὰ τὸ πολλοὺς εἶναι τοὺς πολίτας. Capite XI, 9. eiusdem libri: Ἐν δὲ ταῖς ὀλιγαρχίαις ἢ προαιρεῖσθαί τινας ἐκ τοῦ πλήθους ἢ κατασκευάσαι ἀρχεῖον (magistratuum collegium), οἷον ἐν ἐνίαις πολιτείαις ἐστὶν, οὓς καλοῦσι προβούλους καὶ νομοφύλακας κ. τ. λ. Capite XII, 6: Δεῖ δὲ καὶ τοῦτο μὴ

1) Polit. II, 6, 14.
2) §. 15.

λεληθέναι, ποῖα ἁρμόττει κατὰ τόπον ἀρχεῖα πολλῶν ἐπιμελεῖσθαι καὶ ποίων πανταχοῦ μίαν ἀρχὴν εἶναι κυρίαν 1). Conferatur etiam locus 2), in quo haec leguntur: Ἐν δὲ ταῖς μικραῖς ἀνάγκη συνάγειν εἰς ὀλίγας πολλὰς ἀρχάς· διὰ γὰρ ὀλιγανθρωπίαν οὐ ῥάδιόν ἐστι πολλοὺς ἐν ταῖς ἀρχαῖς εἶναι· τίνες γὰρ οἱ τούτους ἔσονται διαδεξόμενοι πάλιν; Δέονται δ᾽ ἐνιότε τῶν αὐτῶν ἀρχῶν καὶ νόμων αἱ μικραὶ ταῖς μεγάλαις, πλὴν αἱ μὲν δέονται πολλάκις τῶν αὐτῶν, ταῖς δ᾽ ἐν πολλῷ χρόνῳ τοῦτο συμβαίνει. Διόπερ

1) Quum haec iam dudum a me scripta essent, forte fortuito in Addendis Schneiderianae editionis incidi in adnotationem, quae omnino confirmat significationem, quam inesse τοῖς ἀρχείοις puto. Dicit autem Schneiderus (T. 2. p. 488): „Hic locus omnium manifestissime docet, ἀρχεῖον esse collegium plurium magistratuum; quo sensu vocabulum praeter nostrum et Dionysium frequentavit Isocrates.“ (Sequitur nunc locus, quem, cum mihi quoque gravis visus esset, supra laudavi.) Vehementer gavisus sum, quod vir venerabilis mecum consentiat, verum etiam miratus, cur hanc verbi vim ad locos sensu tam diversos inter se componendos neglexerit.

2) IV, 12, 5.

οὐθὲν κωλύει πολλὰς ἐπιμελείας ἅμα προστάττειν· οὐ γὰρ ἐμποδιοῦσιν ἀλλήλαις· καὶ πρὸς τὴν ὀλιγανθρωπίαν ἀναγκαῖον τὰ ἀρχεῖα οἷον ὀβελισκολύχνια ποιεῖν. Simili ratione utitur hoc verbo Isocrates in Areopagitico c. 9. Decet magistratus μηδ' ἐκ τῶν δημοσίων τὰ σφέτερ' αὐτῶν διοικεῖν, ἀλλ' ἐκ τῶν ἑκάστοις ὑπαρχόντων, ὁπότε δεήσειε, καὶ τοῖς κοινοῖς ἐπαρκεῖν, μηδ' ἀκριβέστερον εἰδέναι τὰς ἐκ τῶν ἀρχείων προσόδους ἢ τὰς ἐκ τῶν ἰδίων γιγνομένας αὐτοῖς *).

Ex his locis apparet, vim verbi ἀρχεῖον ad singularem rationem cuiusque civitatis gubernandae accommodandam et ad sex significationes referendam esse.

I. *Τὸ ἀρχεῖον* significat omnes magistratus, cuiuscunque ordinis sint et generis, ideoque non solum iudices controversiarum civilium, sed etiam eos summos ma-

*) Schneiderus l. c. „Ad quem locum video virum egregium Coray dubitare de scriptura, cum ipse ἀρχεῖον nisi de sede magistratuum dici non putaret; quae fuit etiam Victorii ad hunc ipsum locum nostrum (Polit. IV, 12, 6) opinio.“

gistratus, qui rempublicam gubernent, igitur κατ' ἐξοχὴν magistratum, i. e. eum ordinem, qui et civilibus et publicis rebus praesit. Si exigua est civitas, facile intelligitur, haec officia et munera a paucis tantum hominibus administrari, neque hoc sensu de ἀρχείοις dici posse, quatenus magistratuum paucitas singulorum δικαστηρίων munia subire cogatur 1). II. Significat peculiare collegium cunctorum magistratuum. Sic ephoratus appellatur τὸ ἀρχεῖον; ephoratu autem non omnes magistratus continentur, sed reges, ephori, et senatores cunctum magistratum sive reipublicae gubernationem 2) constituunt. Τὰ ἀρχεῖα igitur sunt singula concilia, ex quibus cuncta civitatis administratio constat. III. Ergo τὰ ἀρχεῖα dicuntur omnes singulares magistratus, in quos τὸ ἀρχεῖον, i. e. cunctus magistratuum ordo dividitur 3). IV. Τῷ ἀρχείῳ et τοῖς ἀρχείοις designatur consessus magistratuum, collegium congrega-

1) Polit. II, 7, 5.
2) cf. II, 6, 15. II, 7. 5.
3) IV, 12, 6. Isocrat. l. c.

tum 1). V. Ἀρχεῖα significant quoque plura unius collegii membra in parvum coetum coniuncta ad singularia officia gerenda 2). VI. Aristoteles τὸ ἀρχεῖον et τὴν ἀρχήν, nec non τὰ ἀρχεῖα et τὰς ἀρχάς synonyma facit, ut locus 3) supra laudatus perspicue ostendit his verbis: ποίας ἁρμόττει συνάγειν ἀρχὰς εἰς μίαν ἀρχήν; et: δεῖ δὲ καὶ τοῦτο μὴ λεληθέναι, ποῖα ἁρμόττει κατὰ τόπον ἀρχεῖα πολλῶν ἐπιμελεῖσθαι, καὶ ποίων πανταχοῦ μίαν ἀρχὴν εἶναι κυρίαν. — Recte igitur Aristoteles dicere potest: (κατὰ) τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ περὶ Καρχηδονίους οἷον ἐν Λακεδαίμονι· πάσας γὰρ ἀρχαί τινες κρίνουσι τὰς δίκας· in utraque enim civitate peculiares causas, controversias ab litigantibus et accusatoribus ad singulos iudices et iudicia delatas esse ex hoc loco patet. Hi magistratus constabant Carthagine ex iudicibus, qui erant e collegio centum et quatuor virorum; simili modo Lacedaemone etiam haec iudicia

1) IV, 12, 4.
2) II, 8, 4.
3) IV, 12, 6.

habebantur a singulis iudicibus, qui erant ex Senatu et e concilio ephororum, quibuscum Aristoteles centum et quatuor viros comparat. Itaque Carthaginiensium centum et quatuor viri in singula fora (δικαστήρια, einzelne Gerichtsbehörden) divisi erant, ut Lacedaemone, ubi de capite iudicabant senatores, de civilibus causis ephori, et quidem alii de aliis, e. g. alii de nuptiis, alii de testamentis, alii de contractibus. Hi singuli magistratus appellantur ab Aristotele ἀρχαί τινες in illo loco 1), et in hoc nostro 2) τὰ ἀρχεῖα, ad quae certa causarum et civilium controversiarum genera deferebantur, de quibus quaestionem instituerent. Sed haec singula ἀρχεῖα omnia congregata esse oportebat et pleno concilio omnes magistratus adesse necesse erat, si omnes controversiae et causae tam civiles quam capitales — non dico inquirendae — sed componendae, diiudicandae essent. Et profecto! haec distinctio ab Aristotele accurate quoque in-

1) Libro III, 1, 7.
2) II, 8. 4.

dicatur h. l. τῷ κρίνειν et τῷ δικάζειν, quorum illud significat: in reos inquirere, de causa quaestionem instituere, causam ad sententiam perducere, et hoc: causam decernere, transigere, decidere, reos aut criminis absolvere aut condemnare. Cunctus magistratus Carthaginiensium constabat ex Sufetibus, ex quinqueviratibus, ex centum viris (γερουσίᾳ), ex cetera senatus parte (συγκλήτῳ), ex centum et quatuor viris. Hic magistratus cunctus uno nomine comprehenditur, et ἀρχεῖον vocatur; singula collegia (die einzelnen Behörden, Départements) sunt ἀρχεῖα, et centum et quatuor viros omnes cum ceteris collegiis congregatos esse, et Sufetes praesidere in iis opus erat 1), si causae tam civiles quam capitales essent decernendae 2).

1) Livius XXXIV, 61 „Postero die, quum Sufetes ad ius dicendum consedissent.“ Hoc in consessu omnium magistratuum fieri tantum poterat.

2) Video praeclarum Coraium in editione sua Aristotelis Politicorum nunc eandem significationem τῶν ἀρχείων, quam exposui, probare. Dicit enim p. 295. ad Aristot. Polit. IV, 12, 6, haec: Ἀρχεῖα. Ἀρχεῖόν ἐστι σύλλογος ἀρχόντων ἑνός τινος ἐπιμελουμένων ἔργου,

Nunc uterque locus bene congruit, ex quo contraria ratio nullo pacto colligi potest. Primus enim declarat 1), omnes causas a cunctis magistratuum collegiis disceptari decernique Sufetibus praesidibus, nec alias causas ab aliis iudicibus, qui Lacedaemoniorum mos erat, apud quos singuli magistratus non ad summum concilium lites deferebant atque sententiam definitivam, ut I. C. dicunt, exspectabant, sed eas quoque diiudicabant, disceptabant, decernebant, etiamsi omnia magistratuum collegia non congregata essent. Alter locus haec dicit 2): *Ἐνίαις γὰρ οὐκ ἔστι δῆμος, οὐδ' ἐκκλησίαν νομίζουσιν, ἀλλὰ συγκλήτους.* Ita res fuit! neque enim Lacedaemone neque Carthagine iudicia popularia erant. *Καὶ τὰς δίκας δικάζουσι κατὰ μέρος, οἷον ἐν Λακεδαίμονι τὰς τῶν συμβολαίων δικάζει τῶν*

ὅπερ ἂν ἑρμηνεύσαις Γαλλιστὶ département, *οἷον ὅταν λέγωσι* département de la marine, de la guerre *κ. τ. λ., ὃ ἀνωτέρω, (Δ, ιά, 3.) συναρχίαν ὠνόμασε. Καὶ ἁπλῶς δὲ σύνοδος οἱωνοῦν ἄλλων, τοῦ αὐτοῦ ἔργου συνεπιμελουμένων.* (*Γαλ.* collège.)

1) II, 8, 4.

2) III, 1, 7.

ἐφόρων ἄλλος ἄλλας, οἱ δὲ γέροντες τὰς φονικὰς, ἑτέρα δ' ἴσως ἀρχή τις ἑτέρας. Τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ περὶ Καρχηδόνα· πάσας γὰρ ἀρχαί τινες κρίνουσι τὰς δίκας. Similis ratio fuit Carthagine; totum enim collegium centum et quatuor virorum in singula δικαστήρια sive minores coetus divisum erat, quorum curae singula causarum genera mandata erant, e. c. pars eorum de contractibus, alii de capite, alii de negotiatione, alii de aere alieno, etc. quaestionem instituebant. Haec non repugnant priori loco; Aristoteles autem omittit adiungere, quae priori loco iam fecit, cum de Carthaginiensibus disputaret, nempe: haec singula concilia et cetera collegia una congregata esse oportere, si causae sint decernendae. Nam omnes Carthaginiensium magistratus in forum, i. e. in celeberrimum urbis locum conveniebant et iudicia exercebant, ceteraque publica negotia Sufetibus praesidibus peragebant. Igitur iudicia publica habebantur, et omnes res, quae ad rem publicam adtinebant, publice agebantur *).

*) Liv. XXXIV, 61. Aristo — tabellas conscriptas

Tertius autem locus, qui in Livio reperitur, cum his duobus comparari nullo pacto potest. Supra enim copiosius de hoc disserui et satis me demonstrasse arbitror, Iudices, quorum Livius mentionem faciat, non esse appellandos Iudices sensu vulgari, sed vocem Schophetim a Romano scriptore latine ita expressam, et cum iudicibus controversias civiles iudicantibus nihil commune habuisse nisi hoc nomen ipsum. Qui etiam fieri potuisset, ut civiles iudices, quorum officia et potestas tam angustis finibus circumscripta essent, ad tantam potentiam pervenirent, ut summum reipublicae imperium et gubernationem sibi vindicarent? Hanc nimiam potestatem sive perpetuam Iudicum (Schophetim שופטים) dominationem quinqueviri cum centumviris sibi tantum arrogare poterant, qui a primis civitatis temporibus potentia ceteris magistratibus praestabant.

---

celeberrimo loco supra sedem quotidianam magistratuum prima vespera suspendit. Postero die, quum Sufetes ad ius dicendum consedissent etc.

Sed redeamus post tam longam digressionem ad continuationem textus Aristotelici, cuius reliqua pars gravioribus difficultatibus caret et facile intelligitur.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Duplex magistratuum creandorum ratio: aut ex virtute, aut ex divitiis. Carthaginiensium perversa opinio. Verba ἢ συνδοκεῖ τοῖς πολλοῖς vario modo vertuntur.

---

*Παρεκβαίνει δὲ τῆς ἀριστοκρατίας ἡ τάξις τῶν Καρχηδονίων μάλιστα πρὸς τὴν ὀλιγαρχίαν κατά τινα διάνοιαν, ἢ *) συνδοκεῖ τοῖς πολλοῖς· οὐ γὰρ μόνον ἀριστίνδην, ἀλλὰ καὶ πλουτίνδην οἴονται δεῖν αἱρεῖσθαι τοὺς ἄρχοντας· ἀδύνατον γὰρ τὸν ἀποροῦντα καλῶς ἄρχειν καὶ σχολάζειν.*

Varr. lectt. *)Ita Aldina et Coraius. Ceterae editt. habent ἡ.

Deflectit autem maxime ab optimatum principatu ad paucorum potentatum Cartha-

giniensis reipublicae forma ex opinione quadam a plurimis probata; magistratus enim creandos esse non virtutum tantum, sed divitiarum quoque ratione habita. Fieri enim posse negant, ut, qui egeat, bene magistratu fungatur et otium gerat.

Aristoteles causas exponit, unde factum sit, ut respublica Carthaginiensium, quae ex legislatoris consilio maximam partem ad optimorum imperium cum populi potestate quadam coniunctum accommodata fuerit, ab hoc primario statu migraverit et ad paucorum dominatum declinaverit. Carthaginienses enim opinione imbuti erant, homines pauperes, licet probos, rempublicam bene administrare non posse, quod penuria coacti sedulam operam quaestui daturi essent, ideoque rempublicam perturbaturi. Quod periculum ut vitarent, in creandis magistratibus non solum ad virtutem sed etiam ad divitias spectabant.

Verba ἢ συνδοκεῖ τοῖς πολλοῖς commentatores vario modo interpretati sunt. Schneiderus et plurimae editiones habent ἣ; Aldina ἤ. Vetus interpres vertit: ut videtur multis; Lambinus: ex quadam cogita-

tione et opinione vulgi; Aretinus: in eo, quod multi comprobant; Victorius: e quodam sensu, qui probatur multis; ceteri simili ratione. Male autem Schlosserus: ist die von vielen so sehr gelobte Einrichtung; bene Garvius: der mit der gemeinen Meinung vollkommen übereinstimmt. Sequentibus verbis ἀδύνατον γὰρ opinio ista a multis comprobata explicatur; recte igitur Lambinus, Giphanius, Heinsius: fieri enim non posse (multi) arbitrantur etc. Aretinus, Victorius, Ramus, Conringius reprehensionem aut disiunctionem aliquam intellexisse videntur; vertunt enim: quasi fieri non possit, etc.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Carthaginienses in magistratibus eligendis utramque rationem sequuntur.

Εἴπερ οὖν τὸ μὲν αἱρεῖσθαι πλουτίνδην ὀλιγαρχικὸν, τὸ δὲ κατ' ἀρετὴν ἀριστοκρατικὸν, αὕτη τις ἂν εἴη τάξις

τρίτη, καθ' ἥνπερ συντέτακται καὶ τοῖς Καρχηδονίοις τὰ περὶ τὴν πολιτείαν·' αἱροῦνται γὰρ εἰς δύο ταῦτα βλέποντες καὶ μάλιστα τὰς μεγίστας, τούς τε βασιλεῖς καὶ τοὺς στρατηγούς.

Si igitur magistratus propter divitias eligere ad paucorum potentiam pertineat, propter virtutem autem eos creare ad optimatum principatum: tertia administrationis ratio haec esse videtur, quam Carthaginienses in ordinanda republica sua adhibuerunt. Ad haec duo enim praecipue respicientes eligunt sibi summos magistratus, non solum reges, sed etiam duces.

Aristoteles docet hanc, qua utebantur Carthaginienses, tertiam viam esse magistratuum creandorum inter solam optimatum dominationem et inter paucorum imperium interiectam, et utramque potestatem amplectentem atque temperantem, ita ut populo ius creandorum magistratuum in comitiis concessum sit, et virtutum et divitiarum ratione habita. — *Τὰς μεγίστας*, sc. *ἀρχάς*. Ita etiam Coraius.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Peccata legislatoris. Quae vitia in Poenorum republica inveniantur. Aristoteles de civitatis conditione loquitur, qualis fuit ante bella Punica.

Δεῖ δὲ νομίζειν ἁμάρτημα νομοθέτου τὴν παρέκβασιν εἶναι τῆς ἀριστοκρατείας ταύτην· ἐξ ἀρχῆς γὰρ τοῦθ᾽ ὁρᾷν ἐστι τῶν ἀναγκαιοτάτων, ὅπως οἱ βέλτιστοι δύνωνται σχολάζειν, καὶ μηδὲν ἀσχημονεῖν μὴ μόνον ἄρχοντες ἀλλὰ μηδ᾽ ἰδιωτεύοντες. Εἰ δὲ δεῖ βλέπειν καὶ πρὸς εὐπορίαν 1) χάριν σχολῆς, φαῦλον τὸ τὰς μεγίστας ὠνητὰς εἶναι τῶν ἀρχῶν, τήν τε βασιλείαν καὶ τὴν στρατηγίαν· ἔντιμον γὰρ ὁ νόμος οὗτος ποιεῖ τὸν πλοῦτον μᾶλλον τῆς ἀρετῆς, καὶ τὴν πόλιν ὅλην φιλοχρήματον. Ὅ τι δ᾽ ἂν 2) ὑπολάβῃ τίμιον εἶναι τὸ κύριον, ἀνάγκη καὶ τὴν τῶν ἄλλων πολιτῶν δόξαν ἀκολουθεῖν τούτοις· ὅπου δὲ μὴ μάλιστα

ἀρετὴ τιμᾶται, ταύτην οὐχ οἷόν τε εἶναι βεβαίως ἀριστοκρατικὴν πολιτείαν.

Varr. lectt. 1) Sic plurimae editt. habent. Vetus interpres et Genesius legerunt: ἀπορίαν. — 2) Sic scriptum est in omnibus graecis libris, quos vidi. Vetus Interpres et Aretinus legerunt: γάρ.

Existimandum autem est hanc ab optimatum principatu declinationem legislatoris peccato atque culpa accidisse. Ab initio enim necessarium erat hoc videre, ut optimi viri otium agere et cum dignitate vivere possent, non solum cum munere funguntur, sed etiam cum privatam vitam degunt. Quodsi etiam opus sit respicere ad divitias, ut otio liceat uti, inter mala tamen atque incommoda numerandum est, summos magistratus, Sufetum regnum dico et imperium militare, venales esse. Nam hac lege efficitur, ut divitiae maiori sint in pretio quam virtus, et tota civitas nimis sit dedita studio pecuniae acquirendae. Quidquid autem principes civitatis in pretio habuerint, id et ceterorum civium opinio sequatur necesse est. Ubi enim virtus non plurimi aestimatur, ibi fieri nullo modo potest, ut respublica firmo optimatum principatu utatur.

Haec sunt exempla reipublicae iam degeneratae, quod Aristotele teste Sufetes et duces, ceterique civitatis principes Polybio auctore 1) sumtibus magistratum emere et palam dignitates et honores largitionibus redimere poterant. Quod apud eos omnino licitum fuisse Aristoteles 2) disertis verbis dicit: *πολλαῖς τε ὀλιγαρχίαις οὐκ ἔξεστι χρηματίζεσθαι, ἀλλὰ νόμοι εἰσὶν οἱ κωλύοντες· ἐν Καρχηδόνι δὲ δημοκρατουμένῃ χρηματίζονται, καὶ οὔπω μεταβεβλήκασιν.* Vox *χρηματίζεσθαι* h. l. non solum mercaturam facere, fructum aut reditus ex agrorum latifundiis atque metallorum fodinis percipere significat, sed etiam studium largitionibus pecuniaque magistratus, dignitates et honores emendi et tunc ex his quaestum capiendi. Quae interpretatio confirmatur Polybii verbis his 3): *παρὰ μὲν Καρχηδονίοις δῶρα φανερῶς διδόντες λαμβάνουσι τὰς ἀρχάς.* Exempla de quaestoribus et centum iudicibus supra allata id probabunt.

---

1) VI, 56.
2) Polit. V, 10, 4.
3) VI, 56.

Cum igitur Carthaginienses partim cavere vellent, ne optimates soli regnarent, partim providere, ne paucorum dominatus maioris esset momenti, tertiam viam inter utramque ingressi sunt, ut deligerent magistratus et ex virtutibus et ex opibus. Sed non impetravit legislator, quod sibi proposuerat consilium, sed potius effecit, ut optimatum dominatio minorem haberet vim, quam ipse vellet. Nam cum in quavis civitate non adeo multi boni sint, et numerus eorum, qui opes possideant, etiam exiguus sit: sequitur, ut haec tertia inter utramque regnandi formam ratio interiecta paucorum dominatui maxime faveat.

Τὸ κύριον, *τὰ κύρια* apud Aristotelem summum magistratum, summam dignitatem, summam potestatem, et quidem hoc loco Sufetum, ducum et centumvirorum potentiam significat. In Demosthene *τὰ κύρια τῆς πόλεως* eodem sensu inveniuntur. *Τὸ κύριον*, i. e. *οἱ κύριοι τοῦ πολιτεύματος*. Coraius.

CAPUT DUODEVICESIMUM.

Magistratus venales. Aristotelis sententia. Duplex lectio εὐπορία et ἀπορία explicatur. Aretini versio eiusque auctoritas in hoc textu recensendo et emendando. Coraii adnotatio. Auctoris interpretatio et sententiarum expositio.

Ἐθίζεσθαι δ' εὔλογον κερδαίνειν τοὺς ὠνουμένους, ὅταν δαπανήσαντες ἄρχωσι· ἄτοπον γὰρ, εἰ πένης μὲν ὢν ἐπιεικὴς δὲ βουλήσεται κερδαίνειν, φαυλότερος δ' ὢν οὐ βουλήσεται δαπανήσας. Διὸ δεῖ τοὺς δυναμένους ἀριστάρχειν τούτους ἄρχειν. Βέλτιον δ' εἰ καὶ προεῖτο τὴν εὐπορίαν τῶν ἐπιεικῶν ὁ νομοθέτης, ἀλλὰ ἀρχόντων γε ἐπιμελεῖσθαι τῆς σχολῆς.

Probabile autem est, eos, qui magistratum emant, adsuefieri quaestum facere, quando sumtibus ad imperium pervenerint. Absurdum enim est opinari, eum, qui pauper quidem sit, sed tamen vir probus,

quaestus faciendi voluntatem habiturum esse; eum vero, qui improbus sit, non quaestui operam daturum, cum sumtum fecerit. Idcirco eos praeesse oportet, qui ex virtutibus imperium tenere possint. Satius quoque fuisset, legislatorem, quando bonorum virorum opulentiae rationem non habuerit, magistratuum certe otio consuluisse.

Τοὺς ὠνουμένους. Excepto Aretino et vetere Interprete ceteri commentatores ita vertunt, quasi Aristoteles *ὠνημένους* dixisset. — *Δαπανήσαντες ἄρχωσι.* Minus accurate nonnulli interpretantur: „si in magistratu ipso laute et splendide vivant," cum potius vertendum esset: quando sumtus fecerint ad magistratum adipiscendum. De hoc studio magistratus emendi et nummos largiendi Polybius *) loquitur his verbis: *Παρὰ μὲν Καρχηδονίοις δῶρα φανερῶς διδόντες λαμβάνουσι τὰς ἀρχάς.* — *Εἰ καὶ προεῖτο εὐπορίαν.* Duplex est lectio in Codd. et edd. Aldina habet *εὐπορίαν.* Genuinus Aretinus non vertisse videtur: si opu-

*) VI, 56.

lentiam abiecisset, ut Schneiderus scripsit, sed: si auctor legis opulentiam praestantium (i. e. bonorum) virorum providisset *). Legit igitur cum Aldo εὐπορίαν. In

*) In nonnullis editionibus, quae Aretini versionem habent, ita quidem legitur, ut Schneiderus scripsit, sed in melioribus editionibus lectio ista non invenitur. Qua ex causa eandem esse versionis Aretini conditionem quam Ficini suspicor. Habemus fortasse genuinam et adulterinam, corruptam certe, Aretini versionem. Vehementer autem doleo, mihi neque tantum otii concessum esse neque opportunitatem oblatam, accuratius hanc diversitatem lectionis, quae in versionibus Aretini invenitur, conferendi et diligentius quaerendi, quae versio genuina sit, quaeque editiones veram contineant Aretini interpretationem. Res tamen digna est, quae ad liquidum perducatur, cum genuina Leonardi Aretini versio magni momenti sit commentatoribus ad textum Aristotelis recensendum et lectionum varietatem diiudicandam. Nisi omnia me fallant, genuina est haec editio Aretini versionis, quam inprimis inspexi atque adhibui, quamque omnibus ceteris editionibus, quas vidi, praeferendam esse censeo. Hic liber ita inscriptus est: Aristotelis Stagiritae Politicorum ad Nicomachum Lib. Primus, Raphaelis Volaterrani argumenta in eosdem. Leonardo Aretino interprete. Venetiis Apud Hieronymum Scotum. 1542. 8. Adiectus est Oeconomicus

ceteris libris invenitur ἀπορίαν. Victorius interpretatur: si abiecisset paupertatem; Lambinus: etsi virorum bonorum facultates et copias rei familiaris deserebat ac prodebat; Ramus: si legislator in viris bonis hanc opulentiam non requireret; Giphanius: quando bonorum paupertatem neglexerat; Heinsius: quia pauperes reiecit legislator; Schlosserus: ohne auf die Armuth rechtschaffener Leute zu sehen; Garvius: wenn der Gesetzgeber auch keine Vorkehrungen gemacht hätte, um überhaupt die Dürftigkeit verdienstvoller Personen zu verhüten. Coraius simili modo haec intelligit. Dicit enim: *εἰ καὶ μὴ φροντίζοι ἄλλως ὁ νομοθέτης τῆς πενίας τῶν ἐπιεικῶν, ἀλλ' ὅταν γε ἄρχειν αὐτοῖς ἐπιτρέπῃ, ὀφέλει ἐπιμελεῖσθαι, ὅπως ἔχοντες τὰ πρὸς τὸ ζῆν ἀναγκαῖα δύνωνται σχολάζειν.* Mihi ratio haec verba interpretandi non sufficit, et εὐπορίαν

Aristotelis Bernardino Donato Veronensi interprete, et textus Graecus eiusdem libri. Venetiis apud eundem Hieronymum Scotum 1540. Textus Graecus accuratiore collatione dignus videtur. Aretini opera omnia videndi occasio mihi non oblata est.

lectionem veram et genuinam esse arbitror. Quamvis ἀπορίαν προΐεσθαι et εὐπορίαν προΐεσθαι eodem iure dici posse videatur, ita ut alterum negandi, alterum affirmandi habeat vim et ἀπορία significet: rationem paupertatis non habitam fuisse a legislatore: totus tamen sententiarum nexus εὐπορίαν flagitat. Cohaerent enim cum superioribus sequentia hoc modo: stultum est opinari, pauperem, licet probum, quaestui operam daturum esse, et divitem, licet pravum, non sectaturum esse opes. In civitate bene constituta bonos tantum oportet regnare, propterea quod ii modo bene imperaturi sint, in quibus insit virtus. Melius quidem fecisset legislator, si rempublicam ita instituisset, ut omnes cives possiderent tot opes, quot necessariae essent ad vitam sine aerumna et cura degendam: cum autem fieri non posset, ut opulentiae bonorum consuleret, id saltem spectare eum oportebat, ut magistratuum otio provideret, quando munere fungerentur. Quid igitur sibi vult ἀπορία in tali sententiarum nexu? Concludit philosophus: cum non omnes opulentos reddere posset auctor legum, partem

certe eorum, i. e. magistratus locupletare debuisset. Itaque εὐπορίαν ex Aldina in textum recepi, quam lectionem confirmat veteris interpretis versio et ipse Aretinus, qui, cum ex libris manuscriptis et quidem vetustissimis et optimis Aristotelem latine interpretatus sit, ipse codici optimo aequiparari potest, eademque auctoritate mihi videtur, qua Ficinus in interpretando Platone. —

Εἰ καὶ h. l. significat: etiamsi, siquidem, quando, quoniam; et sequens ἀλλὰ ἀρχόντων γε est: at certe, at saltim, tamen. — Σχολή est talis conditio, quae affatim habeat facultatum, ut dignitas muneris cum decore quodam et splendore obtineatur.

CAPUT UNDEVICESIMUM.

Cetera vitia Punicae reipublicae afferuntur. Aristotelis prudens consilium.

Φαῦλον δ' ἂν δόξειεν εἶναι καὶ τὸ πλείους ἀρχὰς τὸν αὐτὸν ἄρχειν, ὅπερ εὐδοκιμεῖ παρὰ τοῖς Καρχηδονίοις· ἓν γὰρ ὑφ' ἑνὸς ἔργον ἄριστ' ἂν ἀποτελεῖται. Δεῖ δ' ὅπως γίνηται τοῦθ' ὁρᾷν τὸν νομοθέτην, καὶ μὴ προστάττειν τὸν αὐτὸν αὐλεῖν καὶ σκυτοτομεῖν. Ὥσθ' ὅπου μὴ μικρὰ πόλις, πολιτικώτερον πλείονας μετέχειν τῶν ἀρχῶν, καὶ δημοτικώτερον· κοινότερόν τε γὰρ 1), καθάπερ εἴπομεν, καὶ κάλλιον ἕκαστον ἀποτελεῖται ὑπὸ τῶν αὐτῶν καὶ θᾶττον. Δῆλον δὲ τοῦτο ἐπὶ τῶν πολεμικῶν καὶ τῶν ναυτικῶν· ἐν τούτοις γὰρ ἀμφοτέροις διὰ πάντων ὡς εἰπεῖν διελήλυθε τὸ ἄρχειν καὶ τὸ ἄρχεσθαι.

Varr. lectt. *) In quibusdam libris deest vox γάρ.

Ad mala etiam pertinere videtur, quod idem unus plures gerat magistratus, quae ratio Carthaginiensibus probatur. Unum autem opus ab uno tantum optime conficitur. Quod ut fieri possit, oportet operam dare legislatorem, nec vero praecipere, ut idem exerceat negotium tibicinis et sutoris. Itaque ubi civitas non est parva, magis cum civium statu convenit, plures esse magistratuum participes; communius enim, ut diximus, et pulchrius et citius unumquodque ab iisdem conficitur: quod perspicuum est in rebus bellicis et nauticis. Nam in his utrisque per omnes, ut ita dicam, pervadit imperandi et parendi officium.

Vituperat Aristoteles, multos magistratus ab uno administrari, cum respublica Carthaginiensium tam opulenta et ampla sit, ut ibi magistratus quam plurimi cum dignitate munere fungi possint, et excusat instituta minorum civitatum, quae necessitate et rebus angustis coactae singulis et paucis magistratibus plura munera gerenda committunt *).

---

*) Vid. loc. Arist., quem supra laudavi, cum de voce ἀρχεῖον dissererem.

In republica vero praeclara et ampla, ubi civium frequentia magna est, magis ad civitatem atque civilem societatem (πολιτικώτερον) imperii forma accommodatur, omniumque civium iura cum pietate et iustitia servantur, eorumque auctoritas pluris aestimatur, si singuli magistratus mandantur singulis; quo fit, ut sensim sensimque omnes, qui idonei et digni sint, magistratuum et honorum fiant participes. Haec autem ratio, quae etiam ad cives in tenui loco positos spectat, recte popularior (δημοτικώτερον) nominatur, quod plebis pars magistratu aliquo administrando imperium quoddam quamvis exiguum exercere videtur.

CAPUT VICESIMUM.

Aristotelis sententia. Duplex Poenorum ratio plebeios in colonias et oppida emittendi indicatur. Verba accuratius explicantur. Quid intersit inter πόλεις et περιοίκιδας.

Ὀλιγαρχικῆς δ᾽ οὔσης τῆς πολιτείας, ἄριστα ἐκφεύγουσι τῷ πλουτεῖν αἰεί τι τοῦ δήμου μέρος ἐκπέμποντες ἐπὶ τὰς πόλεις· τούτῳ γὰρ ἰῶνται καὶ ποιοῦσι μόνιμον τὴν πολιτείαν. Ἀλλὰ τοῦτό ἐστι τύχης ἔργον· δεῖ δὲ ἀστασιάστους εἶναι διὰ τὸν νομοθέτην· νῦν δ᾽, ἂν ἀτυχία γίνηταί τις, καὶ τὸ πλῆθος ἀποστῇ τῶν ἀρχομένων *), οὐδέν ἐστι φάρμακον διὰ τῶν νόμων τῆς ἡσυχίας. — Περὶ μὲν οὖν τῆς τῶν Λακεδαιμονίων πολιτείας καὶ Κρητικῆς καὶ τῆς Καρχηδονίων, αἵπερ δικαίως εὐδοκιμοῦσι, τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον.

Varr. lectt. *) Aretinus legit: ἀρχόντων.

Cum autem ad paucorum dominatum vergat eorum civitas, optime tamen effugiunt hoc incommodum, quod semper ditetur aliqua populi pars in oppida emissa. Hac enim re medentur huic malo et reddunt stabilem rempublicam atque firmam. Verum hoc est fortunae opus. Oportet autem eos a seditione tutos esse legislatoris consilio et opera, non fortunae beneficio. Nunc vero, si quid adversi acciderit et multitudo obedientium defecerit, nullum est in legibus tranquillitatis et quietis praesidium. Ita comparata est reipublicae gubernandae forma, quae apud Lacedaemonios, Cretenses et Carthaginienses reperitur, et merito ab omnibus probatur.

Manifestum est, post verba: *ἄριστα ἐκφεύγουσι* vocabulum aliquod excidisse. Quid enim effugiunt? Victorius supplevit *τὸν φθόνον*, et e contextu apparet tale quid omnino supplendum esse. Aretinus vertit: optime illud effugiunt. Fortassse nihil aliud quam *τοῦτο* deest, quod non ad priora, sed ad sequentia, *μόνιμον ποιεῖν τὴν πολιτείαν*, et ad *ἀστασιάστους εἶναι*, non verbis sed sensu referri debet, ita ut sententia haec esse videa-

tur: his institutis effugiunt tumultus, seditiones et studium novarum rerum, quod tam facile in plebe exoriri potest, cum omni auctoritate et opulentia se privatam cognoscit. *) —

Τῷ πλουτεῖν. Plurimi editores ita verterunt, quasi Aristoteles scripsisset *πλουτίζειν*, (ditare populum) quod Schneiderus etiam in textum recepit. Cum vero omnes libri *πλουτεῖν* habeant et haec lectio aptior ad sententiam sit, recepi eam in textum. Proceres enim et civitatis principes plebem non ditant, sed ei colligendarum divitiarum facultatem tantum praebent.

Duplex fuit ratio, qua Carthaginienses ad plebem ditandam utebantur: magnam enim partem plebis, ne seditiones concitaret, in remotas regiones emittebant, ut colonias fundaret, urbes conderet, agros coleret, et mercaturae operam daret. Altera ratio haec erat: Ablegabant nonnullos, qui ex plebe eminebant in vicinas urbes, in quibus munere aliquo fungerentur, ex quo larga

---

*) *Ἐκφεύγουσι* sc. *τὸν κίνδυνον· ἐλλειπτικῶς ὡς τὸ παρὰ τῷ Κωμικῷ (Σφηκ. 994) — Ἐκπέφευγας, ὦ Λάβης.* Coraius.

merces rediret. Hac arte et callido consilio opportunitas eis rerum augendarum oblata fuit, et, cum divites facti essent, domum redeundi, ut opulentia sua fruerentur. Conferendus autem est cum hoc nostro alter locus sexto Politicorum libro *), ubi Aristoteles varia consilia proponit, quibus uti oporteat legislatores ad depellendam plebis paupertatem. Inter alia etiam hanc viam, quam ingressi sint Carthaginienses, ut sibi conciliarent plebis gratiam, his verbis memorat: *τοιοῦτον δέ τινα τρόπον Καρχηδόνιοι πολιτευόμενοι φίλον κέκτηνται τὸν δῆμον. ἀεὶ γάρ τινας ἐκπέμποντες τοῦ δήμου πρὸς τὰς περιοικίδας ποιοῦσιν εὐπόρους.*

Facile autem intelligitur, haec beneficia tam accepta paucis tantum conferri potuisse. Quam ob rem Aristoteles accurate distinguit inter *ἐκπέμπειν ἀεί τινας* et *μέρος τι.* Pars plebis, i. e. magnus numerus in colonias quidem transferri poterat, ut ex Hannonis periplo patet, sed non in urbes vicinas, quae frequentia incolarum omnino abundabant, et in quibus plebe-

*) c. 3, 5.

culae non tot viae divitiarum patebant acquirendarum, quam in coloniis Hispaniae, Siciliae, extremae Libyae et in ceteris insulis, ubi navigatio, coloniarum commercium cum metropoli et incolis terrarum huic subditarum, agricultura et opificum opera, stanni et electri colligendi opportunitas, gemmarum politio et fodinarum cultura opulentiam colonorum vehementer augebant. Pari consilio, certo et non adeo longo intervallo (ἀεί), in vicinas (περιοικίδας) urbes nonnulli emittebantur, non ut colonias fundarent, sed ut aliis negotiis operam darent, et muneribus quibusdam publicis, quae non pertinerent ad magistratus, praeessent, e. g. vectigalibus nauticis cogendis, commeatui et victui navali comparando, mercibus inspiciendis et nummis in acceptum referendis, officinis tinctorum administrandis, sali coquendo, pulveri aureo purificando, vitro fabricando, mancipiorum negotiationi exercendae. Notum est ex historia, permagnum fuisse numerum urbium a Carthaginiensibus conditarum eorumque imperio subditarum, quae non solum in ora maritima versus occidentem et orientem sitae, sed etiam

in interiore Libyae borealis parte positae erant. Multitudo earum ex eo iam satis apparet, quod Diodoro teste *) Agathocles Neapoli, Adrumeto, Tuni, Thapso expugnatis, plus quam ducenta oppida cepit et tunc demum expeditionem in interiorem Libyam facere decrevit. Praeter urbes iam memoratas afferri possunt e e. Vacca, Bulla, Sicca, Zama, Sabrata, Cydamus, Tysdrus, Tacape et multae aliae, quarum nomina in Strabone et Scylace inveniuntur. Ex Hannonis periplo, ex Diodoro, Strabone multisque aliis demonstrari potest, vocem πόλεις de locis omnibus dici, in quibus coloni consederint; περιοικίδας autem semper oppida Carthagini vicina significare.

*) XX, 17.

Theodorus Metochita (chancellor)

ΘΕΟΔΩΡΟΥ

ΤΟΥ ΜΕΤΟΧΙΤΟΥ

ΥΠΟΜΝΗΜΑΤΙΣΜΩΝ
ΚΑΙ ΣΗΜΕΙΩΣΕΩΝ ΓΝΩΜΙΚΩΝ

ΚΕΦ. ρδ'.

Περὶ Καρχηδόνος καὶ τῆς κατ' αὐτὴν πολιτείας.

Cum lectionis varietate et animadversionibus.

De Theodori Metochitae vita et scriptis vid. Fabric. Bibl. Graec. T. IX. p. 214 sqq. — Specimina operum Theodori Metochitae, quae inscribuntur Ὑπομνηματισμοὶ καὶ Σημειώσεις γνωμικαί, e codicibus manuscriptis, Lutetiae Parisiorum in bibliotheca Regia et Coisliniana St. Germanensi asservatis, cum praefatione et notis primum vulgata ab Iano Bloch. Hauniae MDCCXC. 8. — Supplementum editionis Lipsiensis Nicolai Damasceni ab Orellio editum. Lipsiae MDCCCXI. — Hoc libro continentur Theodori Metochitae capita duo de Politia Cyrenaeorum et Carthaginiensium, quae doctus Orellius cum praeclaro Schaefero, Professore Lipsiensi, communicavit. — Theodori Metochitae Miscellanea philosophica et historica. Graece. Textum e codice Cizensi descripsit lectionisque varietatem ex aliquot aliis codicibus enotatam adjecit M. Chr. Godofr. Müller. Editio auctoris morte praeventa, cui praefatus est M. Theoph. Kiessling. Lipsiae MDCCCXXI. Sumtib. Vogelii. 8.

Argumentum.

Carthaginis origo, potentia, imperii forma, navigationes, res gestae et mores describuntur. Theodorus comparat scita et instituta Punica cum Graecis, observans, Poenos fortitudine morumque austeritate Spartanis, celeritate vero rerumque gestarum gloria Atheniensibus similes quidem fuisse; ita tamen, ut iidem illi insita quadam mentis ferocia nativaque ingenii crudelitate barbaram suam (id est Tyriam) originem referentes, a plerisque cultioribus populis vitae genere et institutis publicis differrent.

Κεφ. ρδ'.

(in edit. Müller. p. 681.)

Καρχηδὼν δ' ἐκείνη μεγίστη πόλις, οὐχ 1 ὡς εἴ τις ἄλλη τῶν ἐν Λιβύῃ, καὶ Ἀφρικῆς μητρόπολις, τάχα δ' ἂν καὶ πάσης Λιβύης, ἀδέσποτος ἐπολιτεύσατο ἐξ ἀρχῆς χρόνοις μακροῖς, οὔτ' αὐτόθεν μοναρχηθεῖσα πώποτε, οὔτε μὴν ὑπ' ἄλλου τῶν προσοίκων ἐθνῶν Λιβύῃ, μέχρις οὗ γέγονεν ὑπὸ Ῥωμαίους, τέως μέν γε πολλὰ σφίσι παρασχοῦσα πράγματα, καὶ μάχαις ἀντισχοῦσα γενναίαις

1. Orell. δὲ ἐκεινή. — Οὐχ ὡς deest in Cod. Reg. Paris. ap. Bloch. — Τῶν Orell. non praebet. — Ἀφρικῆς. Orell. male, ut cap. superiori, Ἀφρίκης. — Ἀδέσποτ., Orellius ἀδεσπότως. — Μοναρχ., Cod. Mon. ἀρχηθεῖσα. — Οὔτ' αὐτόθεν, i. e. οὐκ ἀπό τινος τῶν πολιτῶν, non per se, ut e. c. Athenae a suo Pisistrato. — Οὔτε μὴν. Orell. οὔτε μέν. Ὑπὸ Ῥωμ. Orell. ὑπὸ Ῥωμαίοις, ut cap. 103; utrumque recte. — Πράγματα. Ita Codd. Mülleri et Blochii; sed Orell. πραγμάτων. — Ἀντισχ., Cod. Reg. Paris. ap. Bloch.

πολλῶν τῶν χρόνων· ἀλλ' ᾠκεῖτό γε πόλις αὕτη νόμοις ἀριστοκρατικοῖς, καὶ τοσούτῳ γε μάλιστ' εὐγενῶς, ὥστε καὶ οὐδέ τις ἐν αὐτῇ τυραννίδος ἐπιχείρησις, ὥσπερ δῆτ' ἐν πλείσταις ἄλλαις τῶν ὀλιγαρχουμένων τε καὶ δημοκρατουμένων πόλεων, μνημονεύεται γενέσθαι τὸν ἀεὶ χρόνον, καθ' ὃν ἔξω δεσποτείας ἀλλοτρίας ὀλιγαρχικῶς ἤγετο.

2 Μόνον δ' Ἄννωνά φασιν ἰδιώτου πλέον

ἀντισχύουσα. — Ὠικεῖτό γε. Bloch. ᾠκεῖτό τε. Orell. neque γε neque τε habet. — Ἐπιχείρησις. Orell. mendose ἐπίχρησις — Καθ' ὅν. Cod. Aug. καθ' ὅ. — Ὀλιγαρχικῶς ἤγετο.] Bloch. ἡγεῖτο. „Administrabantur enim res Carthaginienses duobus Sufetibus et Senatu 400, qui maximam partem Nobiles legebantur. Bloch.“ Unde hanc notitiam Blochius hauserit, nescio. Nullus enim locus apud antiquos scriptores invenitur, ex quo hic numerus 400 senatorum colligi possit, qui sine dubio multo maior fuit. Vid. Commentat. Praeterea hoc paucorum regnum, de quo Theodorus loquitur, non ad Senatum, sed ad ducum et Sufetum imperium, quod bello exercebant, et potissimum ad quinqvirorum potestatem referendum est. —

2. Μόνον δ' Ἄννωνα. In Germ. Cod. legitur διὰ μόλην, et

φρονήσαντα κατ' αὐτήν, καὶ τυραννι-

---

superscripto κ', διὰ μόκλην. Cod. Mon. et Cod. Germ. Διαμόλκην. Cod. Aug. et C. Reg. Paris. διὰ μόλην; ita etiam Cod. Ciz. Blochius ex coniectura dedit: Δαμόκλην. Priora verba μόλην et μόκλην nullum sensum exhibent, et in nullo scriptore inveniuntur. Blochius dicit: „omnia vitiosa; τὸ Δαμόκλην contra vera est lectio nomenque ex historia satis notum."— Praeter famosum istum Damoclen, qui unus ex assentatoribus Dionysii fuit, nullum alium Damoclen novi. De illo autem vid. Cicero Tusc. V, 21. Euseb. praeparat. evang. libr. VIII, c. XIV. p. 391. Macrobius Somn. Scip. libr. I, c. 10. Boëth. de cons. philos. l. III. Pros. 5. Sidon. Apollinar. l. II, epist. 13. Cf. Horat. Od. III, 1, 17. Pers. Sat. III, 40. Dion. Chrysost. orat. VI, p. 97. Amm. Marcell. l. XXIX, c. 2. Verum ex omnibus his locis ne minima quidem coniectura capi potest, hunc Damoclen fuisse Carthaginensem, cuius nomen ne Punicae quidem originis est. Quid igitur sibi vult Blochius? Contraria sententia vera est: Nomen ex historia neutiquam notum. Igitur eius emendatio nullo modo probanda. Orell.: δ' Ἀμόλκην. Hic Ἀμόλκης vero aeque ignotus ac Δαμόκλης. Quam ob rem lectio suspecta. — Ἰδιώτου πλέον φρονήσαντα, i. e. maiora molitus est, quam privatum decet. — Κατ' αὐτήν, i. e. adversus, in rempublicam. De hoc Hannone et de emendatione nostra vide excursum I.

δος οὐκ ἐπιχείρησιν εὔδηλον, ἀλλ' ὑποψίαν σχεδὸν παρεχόμενον, τάχιστ' ἀπαλλάξαι κακῶς, καὶ τοῖς ἐσχάτοις
3 κινδύνοις περιπεσεῖν. Ἀτὰρ δὴ τὴν πόλιν ταύτην μηδ' ὁτιοῦν Ἑλληνικοῦ γένους μετέχειν ἔγνωμεν, ἀλλ' ἤδ' ἄρα Φοινίκων ἄποικος κατὰ Λιβύην ᾠκήθη, καὶ ταῖς πρώταις ἐφάμιλλα τῇ Λακω-

— Εὔδηλον. Bloch. ἔκδηλον. —

3. Ἑλληνικοῦ. Cod. Mon. ἑλληνικά. — Φοινίκων ἄποικος. Vid. Appian. in Pun. c. I. Καρχηδόνα τὴν ἐν Λιβύῃ Φοίνικες ᾤκισαν, et quae Schweighaeuser adnotavit ad h. l.

Ξὺν πολλῷ τῷ τεταγμένῳ καὶ ἀνόσῳ βιοτεύουσα. Τὸ τεταγμένον praestantiam gubernationis; τὸ ἄνοσον firmitatem et constantiam imperii indicat. Ὁ βίος τεταγμένος καὶ ἄνοσος est vita bene instituta et nullis morbis vexata; ergo si haec ad vitam publicam refertur, nihil aliud significat, quam conditionem civitatis bene institutam fuisse atque moderatam, nullisque internis motibus (qui morbi reipublicae dicuntur) perturbatam. Haec verbi vis egregie illustratur sequentibus locis. Plutarch. de puer. educat. p. 15. ed. Reisk. „Magna affert incommoda, liberos non bene educari; nam: ὅταν εἰς ἄνδρας ἐγγραφθέντες τοῦ μὲν ὑγιαίνοντος καὶ τεταγμένου βίου κατα-

νικῇ τε καὶ Κρητικῇ νόμοις ἀριστοκρατικοῖς ξὺν πολλῷ τῷ τεταγμένῳ καὶ ἀνόσῳ βιοτεύουσα πόλλ' ἔτη διαγέγονε παραβαλλομένη μεγίστοις πράγμασι.
Καὶ ἴσχυσάν γε Καρχηδόνιοι πάνυ τοι 4
πλεῖστον, καὶ τὸ πλεῖστον ἄρα Λιβύης ὑφ' ἑαυτοὺς ἐποιήσαντο, ἐπιμελεῖ τε

φρονήσωσιν, ἐπὶ δὲ τὰς ἀτάκτους καὶ ἀνδραποδώδεις ἡδονὰς ἑαυτοὺς κρημνήσωσι. Paulo infra Metochita dicit τὸ τεταγμένον τῆς ἀνδραγαθίας et τὸ καθεστὸς τοῦ βίου, ubi verba: ὡς ἤδη καὶ πρότερον εἴρηται ad superiorem locum spectant.

Νόμοις ἀριστοκρατικοῖς. Quamquam plebi praerogativa quaedam iura concessa fuerint, gubernationem tamen reipublicae ab optimatibus praecipue administratam fuisse supra exposui. Civitatis enim principes multis in rebus tam callide ac tecte consilia sua exsequebantur, ut plebeii non speciem potestatis, sed summam auctoritatem ipsam se tenere opinarentur. Poenorum proceres optime callebant artem animos plebeiorum non tantum mulcendi atque blanditiis sibi conciliandi, verum etiam civium oculis umbram libertatis offundendi, quam boni isti claram lucem esse sibi persuadebant.

Παραβαλλομένη μεγίστοις πράγμασι; i. e. magnas res non sine periculo gesserunt. *Παραβάλλεσθαι* proprie significat, periculis esse expositum, pericula subire.

4. *Ἐπιμελεῖ τε καὶ συντόνῳ τῶν*

καὶ συντόνῳ τῶν πραγμάτων ἀντιλήψει, καὶ φιλαρχίᾳ, καὶ τόλμαις ἀνδρῶν, καὶ γνώμαις καὶ πάσαις μεγαλόφροσιν ἐπιβολαῖς. Καὶ τάξίωμα σφίσιν ἤρετο οὐ φύσει μόνον, ἀλλὰ ῥοπῇ τῆς τύχης ἡδὺ προσορώσης τὴν ἀρχὴν αὐτοῖς, καὶ

πραγμάτων ἀντιλήψει, i. e. διὰ τὸ ἐπιμέλειάν τε καὶ σπουδὴν παρέχεσθαι ἐν τοῖς πράγμασι καὶ πόνοις. — Τἀξίωμα, i. e. ἡ δόξη αὐτῶν καὶ ἡ τῶν φρονημάτων τόλμα ἐπήρετο, i. e. ηὐξάνετο οὐ φύσει μόνον κ.τ.λ. —

Ἀλλὰ ῥοπῇ. Ita Bloch. cum Codd. Aug. et Mon. — Orell. habet: ἀλλὰ καὶ ῥοπῇ. Theodorus saepius omittit καὶ post οὐ μόνον, quod in ipso Xenophonte omissum invenitur; e. c. Memor. I, 6, 2. Ἱμάτιον ἠμφίεσαι οὐ μόνον φαῦλον, ἀλλὰ τὸ αὐτὸ θέρους τε καὶ χειμῶνος. Ibid. II, 7, 6. Oppian. Cyneg. I, 159. Vid. Viger. p. 322. et quae Hermannus contra haec disputavit §. 319. Ῥοπή est momentum et quasi pondus fortunae, quod in alterutram partem inclinare facit lancem; ergo fortuna, quae Carthaginiensium rebus favet. Haec vis verbi apud historicos ubique occurrit, e. c. Polyb. I, 36, 2. Τοιαύτην ἐπίδοσιν καὶ ῥοπὴν ποιήσας (ὁ Ξάνθιππος) τοῖς Καρχηδονίων πράγμασι. Cf. I, 20, 7. XVI, 14, 6. —

Προσορώσης. Cod. Germ. προρώσης, in margine προρούσης· utrumque mendosum. Ἡ τύχη προσορᾷ ἡδύ, i. e. fortuna suaviter arridet Carthaginiensium impe-

πολλὴν εὐφορίαν καὶ δρόμον ὥσπερ ἐξ οὐρίου τοῖς ἐπιχειρήμασι τῆς πόλεως χορηγούσης. Καὶ οὐ κατὰ Λιβύης μόνον ἴσχυσαν καὶ τῶν οἰκούντων τὴν χώραν ἐθνῶν κραταιῶς πειρώμενοι, ἀλλ' ἄρ' οἶδε καὶ θαλάσσης ἥψαντο, καὶ θαλάσσιοι γεννικῶς ἀλλοτρίων πορρωτάτω καὶ οὐ προσοίκων πραγμάτων τε καὶ

---

rio, i. e. eorum regnum amplificat et adiuvat. Ita Petron. 133. Quum mihi fortunae arriserit hora. Capite sequente iterum legitur: ἡ τύχη ἵλεως προσορᾷ. — Αὐτοῖς pro αὐτῶν, vid. Matthiae Gramm. graec. p. 526.

Χορηγούσης non ad πόλεως referendum, sed ad τῆς τύχης. Fortuna ut ventus secundus omnibus conatibus et rebus gerendis praebet felicem successum et facilem cursum; quasi graece dixisset: ἡ τύχη τοῖς τῶν Καρχηδονίων ἐπιχειρήμασι εὐφορίαν, i. e. εὐπραγίαν, εὐημέρημα χορηγεῖ i. e. παρέχει, δίδωσι. Graece non solum dicitur χορηγεῖν τινά τινι, sed etiam χορηγεῖν τινί τι. Isocrat. de big. §. 9. Ὑμῶν μὲν χρημάτων οὐκ ὄντων, ἐκείνοις δὲ βασιλέως χορηγοῦντος, ἐκράτησαν τῆς θαλάττης. —

5. Κατὰ Λιβύης. Sic et Codd. Aug. et Mon. cum Orell. Verum Bloch. Λιβύην. — Γεννικῶς. Ita et Orell. Bloch. γενικῶς. — Τε Orell. non habet. — Πραγμάτων, i. e. imperia, potestas rebus fortiter

ἐθνῶν ἀντελάβοντο, ναυστόλοις μὲν, ὡς εἰκὸς, τὴν πρώτην πειρώμενοι, εἶθ' ὡς εὐδρόμουν καὶ τρίβοντες πεζῇ στρατεύμασι τῇ χρήσει, καὶ ταῖς μεγάλαις
6 ὁρμαῖς τῆς φιλαρχίας. Ἐγένετό τε μία πόλις τῶν ἀπ' αἰῶνος ὠνομασμένων ἐν πράξεσι, καὶ περιβολῇ μεγέθους ἀρχῆς, οὐδὲ μία πλὴν τῆς Ῥώμης ὕστερον τοσούτῳ κατὰ τῆς οἰκουμένης ἐνακ-

---

gestis comparata. — *Ἀντελάβοντο.* Bloch. *ἀντελαμβάνοντο.*

6. *Μία.* Sic Codd. Aug. Mon. et Orell. Sed Blochius uncis inclusit, et ex seq. *οὐδεμία* deformatum opinatur, cui coniecturae seq. *τῶν ὠνομασμένων* repugnat. — *Μία* positum est ad intendendam vim atque rectionem genitivi partitivi, *μόνη γὰρ ἦν τῶν πόλεων κ. τ. λ.* — *Ὠνομασμένων.* Ita Codd. etiam Aug. et Mon. cum Bloch. Verum Orell. *ὠνομασμένη.* — *Περιβολή,* h. l. ambitus imperii. — *Οὐδεμία.* Ita Cod. Ciz. et Bloch. Sed Orellius *οὐδὲ μία.* Hoc melius. Sensus enim est: nulla alia urbs praeter Romam sibi comparavit gloriam tam praeclaram. Est igitur iteratio prioris sententiae, sed per emphasin dicta. Verborum structura laxa quidem et orationis continuatio non concinna, sed Theodoro solemnis. — *Τοσούτῳ.* Bloch. *τοσοῦτο.* — *Ἐνακμάσασα.* Hoc et sequentia pendent ab *ἐγένετο.* —

μάσασα κράτει, καὶ βρονταῖς φήμης μεγάλων ἔργων πομπεύουσα καὶ κρατοῦσα σὺν θαύματι κατὰ πάντων ἀνθρώπων, ὡς Καρχηδὼν ἐκείνη πόλις κοινοπολιτείᾳ τὸν ἀριστοκρατικὸν τρόπον βιοῦσα καὶ ἀπὸ βουλευτηρίων, ἀλλ' οὐ μοναρχικοῦ φρονήματος καὶ φιλαρχίας ἑνὸς ἀνδρὸς φλεγούσης εἰς μέγιστα πράγματα, πλεῖστον ἀμέλει χρό-

---

Θαύματι. Cod. Aug. θαύμασι, super σι posito τι. — *Κατὰ πάντων.* Orell. μετὰ πάντων. —

Κοινοπολιτείᾳ τὸν ἀριστοκρατικὸν τρόπον βιοῦσα. Civitatis forma posita erat in communi imperii proportione; ita tamen, ut optimatum potestas maximam vim haberet in moderandam reipublicae gubernationem. Haec sententia optime illustratur Aristotelis verbis supra in commentatione a me explicatis: πολιτεία συντεταγμένη τὸν δῆμον ἔχουσα καὶ διαμένουσα ἐν τῇ τάξει τῆς πολιτείας. Vide idem iudicium Polit. IV, 5, 11. Καρχηδὼν πολιτεία ἀριστοκρατική ἐστι. —

Καὶ ἀπὸ βουλευτηρίων, i. e. Carthaginiensium civitas conciliis, non arbitrio u n i u s viri, qui imperandi cupiditate flagrabat, gubernabatur et ad praeclara facta excitabatur. De concilio τῆς Γερουσίας et τῆς Συγκλητοῦ, nec non de concionibus, supra disputavi. —

Φλεγούσης. Con-

7 νον ἐνασχοληθεῖσα. Καὶ παιδιὰ παραβάλλειν τοῖς ἐκείνης τῆς πόλεως τὰ τῶν Ἑλλήνων πράγματα, καὶ τὴν Ἀθηναίων φιλοπραγμοσύνην καὶ φιλαρχίαν, καὶ τὸ θερμὸν τοῦ λήμματος, καὶ τὸ

---

sonant Codd. Aug. et Mon.; sed Bloch. et Orell. φλεγούσας. Fortasse legendum est: φλέγουσα, quod tunc ad ἐνακμάσασα, πομπεύουσα, κρατοῦσα, βιοῦσα spectaret, et bene congrueret cum sequente ἐνασχοληθεῖσα. Cuncta enim haec participia referuntur ad subiectum πόλις. —

7. Καὶ παιδιά. Iucundum sane est comparare etc. Παιδιά apud Xenophontem, inprimis autem apud Plutarchum, non modo iocum indicat, sed etiam leporem, festivitatem, iucunditatem. Plutarch. in Lycurg. c. 14. Λήξεις μετὰ παιδιᾶς καὶ σκωμμάτων. Cap. 20. Εἰρημένα μετὰ παιδιᾶς, facete dicta. — Al. παιδικά, pro παιδικόν ἐστι, ἡδύ ἐστι.

Τὸ θερμὸν τοῦ λήμματος. Sic Codd. omnes; alias dicitur λῆμα; sed Theodorus frequenter literas duplicat. Θερμὸν τοῦ λήμματος h. l. idem est ac θερμὴ ψυχή, animus audax, ferox. Λῆμα invenitur apud Pindarum, ap. Appian. (Bell. civ. II, 15. λῆμα γενναιότατον) et apud Herod. pro θυμός, fortis animus. Conf. Schol. ad Theocr. I, 12. Gregor. de dialect. p. 115. Aristophan. Nub. 455. Λῆμμα pro λῆμα saepissime scriptum esse adnotavit Schweighaeuser. Vid. Herodot. Tom. II, lib. V, 72. p. 469. et in Variet. lect.

τῶν Λακεδαιμονίων ἐν ταῖς μάχαις ἠκριβωμένον καὶ τεταγμένον τῆς ἀνδραγαθίας ἐν τοῖς στρατεύμασι, καὶ ὡς ἀληθῶς ἀμφοτέρωθέν γε δοκεῖ κεκράσθαι τὰ Καρχηδονίων. Καὶ τῶν 8
μὲν ἔχειν τὸ μεστὸν καὶ πλῆρες καὶ οὐκ εὔσειστον οὐδ' ἐπιπολάζον καὶ προπετὲς ὕβρει τινὶ καὶ κούφῳ φορᾶς

---

ad h. l. p. 232. Tom. III, lib. VII, 99. p. 243. et in variet. lect. p. 120. Tom. VI. in adnott. ad libr. V, c. 72. p. 76. Ibid. in adnott. ad libr. VII, 99. p. 348. Quam diversa autem sit vis et derivatio τοῦ λήματος, et τοῦ λήμματος (nisi duplicetur tantum μ in λῆμα, ut hoc loco) nemo nescit. —

Ἀμφοτέρωθέν γε κεκράσθαι. Sic Codd. Aug. et Mon., uti etiam Bloch.; sed Orell. ἀμφοτέρωθέν τε κεχρῶσθαι. —

8. Ἐπιπολάζον, i. e. leve, vanum, i. q. ἐπιπόλαιος. — Καὶ (οὐ) προπετές, i. q. ἡ προπετεία, omisso articulo, ut τὸ μεστὸν, τὸ πλῆρες, τὸ εὔσειστον, ἐπιπολάζον.

Κούφῳ φορᾶς πνεύματι, (sic restituit Blochius ex Cod. Reg.) i. e. levi et inconstanti consilio: φορά enim apud seriores significat vices, mutationem. Vide du Fresne Glossar. Graec., ubi multi loci citantur. Ipse Theodorus φορά cum μετάκλισις mutat paulo infra. Blochius. Hanc vim huic verbo inesse

πνεύματι, ὧν καὶ κοινωνίαν μεγίστην

non nego, sed vulgaris notio meliorem sensum exhibet et optime cum ceteris congruit. Ἡ φορὰ τοῦ κούφου πνεύματος est levis animi impetus; igitur sententia: non ut Athenienses a quovis levis et mobilis animi impetu rapiebantur. — Πρὸς τῷ ἀκμαίῳ: ad maturitatem illam, (i. e. ad solidae mentis et corporis robusti indolem) quae iis cum Lacedaemoniis (ἐκεῖθεν) communis erat, accedebat quoque Atheniensium (τὸ θερμόν) fervor et ingenii alacritas. Metaphora a fructibus petita est, qui pleni et graves sunt, cum ad maturitatem pervenerunt. Καρποὶ μεστοὶ dicuntur fruges, quarum folliculi granis et seminibus quam copiosis referti sunt, ut capita papaveris, siliquae etc. Καρποὶ πληρεῖς sunt fructus, ob magnam foecunditatem solidi, grandes et graves. Simili ratione δένδρα dicuntur ἄσειστα, quae radicibus tenaciter et alte solo adhaerent, ideoque ventis et tempestatibus haud facile concuti et frangi queunt. Non difficile est hanc metaphoram ad mores Lacedaemoniorum et Carthaginiensium transferre, quae ad animi constantiam, firmitatem, gravitatem pertinet, qua non praediti erant Athenienses, qui animo leves erant (τὸ ἐπιπολάζον) et ad fastum propensi, procaces, ingenio praecipites, et temerario animi impetu (κούφῳ φορᾶς πνεύματι), ideoque a cupiditatibus tamquam a levissimo quoque vento agitabantur, et ad quodlibet consilium facile abstrahebantur. Igitur Poeni Atheniensibus praestabant constantia et pertinacia in consiliis exsequendis. — Ὧν

εἶχεν ἐν τοῖς πολιτεύμασι καὶ τῷ καθεστῶτι τῆς τοῦ βίου χρήσεως, ὡς ἤδη καὶ πρότερον εἴρηται, Ἀθηναίων δὲ τὸ θερμόν τε καὶ μεγαλεπήβολον πρὸς τῷ ἐκεῖθεν ἀκμαίῳ, καὶ κάλλιστ' εὐφόρητον καὶ πολύπραγμον, οὐκ ἀστοχοῦν

καὶ κοινωνίαν — καθεστῶτι. Blochius haec tantum habet: εἰκὸς τῷ καθεστῶτι; sequentia desunt: „ὧν καὶ κοινωνίαν μεγίστην εἶχεν ἐν τοῖς πολιτεύμασι καὶ" — Orellius vitiose καθεστότι. —

Καὶ (τὸ) *κάλλιστ' εὐφόρητον*, i. e. Carthaginiensibus idem erat ingenium eximium et versatile, ut Atheniensibus; hac enim naturae agilitate ad magnas res gerendas facile incitabantur, quas magna cum gravitate (οὐκ εὔσειστοι) et dexteritate peragebant. Ita veram sententiam Theodori explanatam esse puto, quamquam incertum videtur, quid proprie verba κάλλιστ' εὐφόρητον significent. Perspicuum est, Theodorum voluisse morum similitudinem quandam Atheniensium et Carthaginiensium indicare, quae ad ingenii solertiam spectaret.

Οὐκ ἀστοχοῦν. Sic codd. omnes cum Bloch. Verum Orell. ἀστοχοῦντο. — Τοῦ δικαίου μέτρου οὐκ ἀστοχοῦν, i. e. τῆς εὐκαιρίας ἐν τοῖς πράγμασι ἐλάβοντο. Quamquam ad omnia praeclara facinora et incepta facile perduci poterant propter animi alacritatem, tamen iustum modum non excedebant, nec a

τοῦ δικαίου μέτρου καὶ τῆς ἱκανώσεως
9 τῶν ἐπιχειρησέων· καὶ ἦσαν τῶν μὲν
ὁμοίων τῇ πολιτείᾳ Λακώνων πολυ-
πραγμονέστεροι ταῖς ἐπιβολαῖς, εἴτ' οὖν
περιβολαῖς τῶν ἔργων, τῆς δ' Ἀθη-
ναίων τόλμης καὶ τοῦ τάχους εὖ μάλα
βαρύτεροι τῇ χρήσει καὶ κραταιότερον
10 πειρώμενοι. Ἦσαν δὲ καὶ ἄλλως τὴν
φύσιν οἱ τῆς Καρχηδόνος ἄνθρωποι καὶ
τὸ πολιτικὸν ἔθιμον ἀνήμεροι δή τινες,

---

scopo aberrabant. Ἱκάνωσις est recta aestimatio atque ratio rerum gerendarum ad virium modum accommodata; nihil enim Carthaginienses suscipiebant, cui pares se et idoneos non esse sentirent.

9. Καὶ ἦσαν. Verba ita iungenda: καὶ εὖ μάλα βαρύτεροι τῇ χρήσει τῆς τόλμης καὶ τοῦ τάχους τῶν Ἀθηναίων (i. e. ἢ οἱ Ἀθηναῖοι). Maiorem adhibebant gravitatem, audaciam et celeritatem in rebus peragendis quam Athenienses, qui audaces quidem et celeres erant, sed non semper tenaces propositi et constantes.

Ὁμοίων, Bloch.: ὅμοιοι. — Εἴτ' οὖν περιβολαῖς. Περιβολεῖς (ex incuria operarum) apud Orell. — 10. Τὸ πολιτικὸν ἔθιμον. Ita habent Codd. Aug. et Mon. et Bloch.; at Orell. τὸν πολιτικὸν ἐθισμόν. Τὸ ἔθιμον idem valet, quod ὁ ἐθισμός et τὸ ἔθισμα. —

Ἀνήμεροι δή τι-

καὶ τὸ κατὰ σφᾶς ἅπαν ἀγριωπὸν καὶ δυσκοινώνητον ἀλλοτρίοις ἤθεσί τε καὶ νομίμοις, καὶ φόβον, ὡς εἰπεῖν, αὐ-

---

νες. *Τινές* saepe abundat apud Theodorum. Blochius delevit punctum post *τινές*, et mutavit ex coniectura sequens *ἀγριωπόν* et *δυσκοινώνητον* in *ἀγριωποὶ καὶ δυσκοινώνητοι*. Müllerus opinatur pro *ἀγριωπόν* fortasse legendum esse *ἀγριωτόν*; sed cap. 109. *ἄνθρωποι* dicuntur iterum *ἀγριωποί* et cap. 113, legitur: *τυραννίσιν οὐκ ἀγριωποῖς ἐχρῶντο;* qua ex causa nihil mutandum censeo. — Sensus: Ceterum vero Poeni fuerunt tam indole sua nativa quam ex consuetudine asperrimi, feroces et ita ab aliorum populorum institutis alienati, ut omnes eorum societatem abominarentur.

Κατὰ σφᾶς, apud eos (in iis ipsis) omnia erant fera; eorum indoles ferocissima erat. *Δυσκοινώνητον ἀλλοτρίοις ἤθεσί τε καὶ νομίμοις*, i. e. difficiles et importuni erant in consuetudine cum aliis propter mores et instituta, quae a communi hominum vita et aliorum moribus tam vehementer abhorrebant.

Φόβον ἐμποιοῦν. Bloch.: *φόβον ἐμποιοῦντες*, Cod. Mon. male: *φόβοι.*— Subiectum est: (*τὸ*) *ἐντυγχάνειν*, omisso articulo, ut etiam in *χρῆσθαι.* Verborum structura: *καὶ* (*τὸ*) *ἐντυγχάνειν αὐτόθεν ἐμποιοῦν* (sc. *ἦν* seu *ἐστί*) *φόβον καὶ* (*τὸ*) *ξυμμίξαντας χρῆσθαι φύσει τε, ὡς εἶπον, καὶ ἐπίτηδες ἀσκήσει.* (sc. *ἦν φόβον ἐμποιοῦν*, quod supra *ἀγριωπὸν* dicebatur.) Vertendum igitur est:

τόθεν ἐμποιοῦν ἐντυγχάνειν καὶ ξυμμίξαντας χρῆσθαι φύσει τε, ὡς εἶπον,
11 καὶ ἐπίτηδες ἀσκήσει. Καὶ πολλὰ πρὸς τὸ ξενότροπον, ἢ κατ' ἄλλους ἀνθρώπους ἐβίουν, οἵγε καὶ τὰ πλεῖστα τῆς

Quibus forte obviam fierent, metum iniiciebant (primus adspectus iam metum iniiciebat), et si cum aliis colloquerentur, insitam naturam non modo non occultabant, sed etiam importunitatem istam animi prae se ferebant, quam de industria induerant et exercitatione auxerant. Opponitur τὸ ἐντυγχάνειν sequenti ξυμμίξαντας; quo maior eorum ferocitas indicetur. Ὡς εἶπον, ad priora τὴν φύσιν ἀνήμεροι referendum, et ἀσκήσει ad praecedens τὸν πολιτικὸν ἐθισμόν spectat. Quam vehementer tota haec morum descriptio depravata sit, et modum excedat, nemo non videt.

Ξυμμίξαντας. Bloch. ξυμμίξαντα. Cod. Reg. apud Bloch. συμμίξαντες. — Orell. ξυμμίξαντας.

11. *Καὶ πόλλα πρὸς τὸ ξενότροπον (μᾶλλον) ἢ κατ' ἄλλους ἀνθρώπους ἐβίουν*, i. e. Poenorum vivendi ratio ab institutis et moribus ceterorum hominum vehementer abhorrebat. Τὸ ξενότροπον, i. e. quod singularem rationem, insolitam et a communi vita alienam habet.

Οἵγε καὶ τὰ πλεῖστα. Orell. vitiose: οἵγε κατὰ πλεῖστα. — *Τὰ πλεῖστα τῆς διοικήσεως ταῖς νυξὶν ἐδίδουν*: Maximam partem negotiorum domesticorum dabant no-

διοικήσεως ταῖς νυξὶν ἐδίδουν, καὶ τὰ
βουλευτήρια καὶ τὰς συνόδους ἐπὶ τοῖς
πρακτέοις νυκτὸς ἐνόμιζον καὶ μεθ’
ἑσπέραν χρῆσθαι. Καὶ βαρεῖς ἦσαν ταῖς
εὐθύναις, καὶ βαρεῖς τοῖς δυστυχοῦσιν
ἰδιώταις τε καὶ τοῖς ἐπὶ τῶν ἀρχῶν. Καὶ
τὸ τρυφᾶν καὶ τὸ πλουτεῖν ἰδίᾳ καὶ μὴ
ἐπὶ τοῖς κοινοῖς ἔγκλημα ἦν, καὶ ἀσω-
τεύων ἀνὴρ καὶ ἀκολάστως πατρῴοις
κλήροις χρώμενος ὑπεύθυνος ἦν τῷ νό-
μῳ, καὶ δίκας ἐπράττετο· καὶ πόλλ’ 12
ἕτερα δυσχερῶς ἐχρῶντο Καρχηδόνιοι,

---

ctibus, i.e. fecerunt noctu, sine dubio quod hoc tempore caloris vis temperata fuit. Idem mos apud populos has regiones incolentes adhuc servatur. *Διοίκησις* h. l. non ad publicam gubernationem, sed ad domesticam administrationem pertinet. — *Τὰ βουλευτήρια.* De his vide excursum II.

Ἐνόμιζον, i.e. solebant, solenne iis erat. Haec significatio τοῦ νομίζειν apud Herodot. frequenter occurrit; e. c. I, 131. 133. III, 15. 38. IV, 59. Vid. Lobeck. Phryn. p. 952. — *Καὶ βαρεῖς.* Orell. repetiit ἦσαν.

12. *Καὶ πόλλ’ ἕτερα δυσχερῶς ἐχρῶντο κ.τ.λ.* Multis in aliis rebus etiam importunus Carthaginiensium animus cerne-

καὶ ἀνημέρως, ὡς εἴρηται, ἢ κατ' ἄλλους οὑστιναςοῦν ἀνθρώπους ἐπολιτεύοντο.

---

batur, qui ferociores se quoque gerebant in publica vita et in administranda republica quam ceteri homines. Ἀνημέρως pro comparativo positum est, quod ex sequenti ἢ satis apparet. Vid. Matthiae Grammat. Graec. p. 634; et Fischeri Animadvv. III, 1, p. 325 sqq.

EXCURSUS I.
De Hannone.

Apud scriptores Graecos et Romanos, qui de rebus Punicis tractaverunt, quatuor inveniuntur viri, qui summum imperium sibi vindicare conati sint. Primus fuit Malchus, sive Maleus, Mazeus, Macheus, immo Himelcho appellatus. De facto ipso et de nominis diversitate vid. Iustin. XVIII, c. 7. et quae in edit. Gronovii Fabricius, Bongarsius, Vossius, Graevius adnotaverunt. Conf. Oros. hist. IV, 6. ed. Havercamp. et quae Franc. Fabricius in notis dixit. Cf. etiam cap. III. huius commentationis. Egregia esset et facilis mutatio literarum, si pro: *Μόνον διὰ Μόλην* legeretur: *Μόνον δὲ Μάλχαν*; sed verba: *ἰδιώτου πλέον φρονήσαντα* et: *οὐκ ἐπιχείρησιν εὔδηλον* huic emendationi non favent. Nam Malchus omnino summo imperio potitus erat, et non fuit vir privatus, sed summus dux. Alterum exemplum tyrannidis a rege Bomilcare affectatae affert Iustin. XXII, c. 7. Diodor. XX, c. 12.

cf. 43, 44; sed cum rex appelletur, ἰδιώτης esse non potest; ergo in eum narratio non cadit. Tertium exemplum in Iustin. L. XXII, c. 3. invenitur. Hamilcar, Carthaginiensium dux, a senatu tacitis suffragiis damnatus est, quod Agathoclis consilia adiuvans patriam prodere et regnum sibi vindicare videretur. Sed mors Hamilcaris praevenit iudicium, quod centumviri tulerant. Facile est, Orellii lectionem: δ' Ἀμόλκην, mutare in δ' Ἀμίλκαν, et in hac mutatione iam levis momenti acquiescendum esset, si summus dux ἰδιώτης appellari posset. Extrema quoque narrationis verba: τάχιστ' ἀπαλλάξαι κακῶς καὶ τοῖς ἐσχάτοις κινδύνοις περιπεσεῖν non bene ad subitam Hamilcaris mortem referenda sunt. Melius autem quadrat ad Theodori sententiam Iustini (XXI, 4.) et Orosii (IV, 6.) narratio de Hannone tyrannidem affectante. Hic enim vir privatus, immensis opibus fretus atque praepotens, regnum invadere conabatur. Ad hoc consilium exsequendum certum diem, quo filiae nuptiae celebrarentur, constituit, et populo in porticibus urbis, senatoribus in aedibus suis epulas paravit, ut hos poculis

veneno infectis necaret. Qua re magistratibus per ministros prodita, scelus declinatum, non vindicatum est, „ne in viro tam potenti plus negotii faceret res cognita quam cogitata. Contenti itaque cohibuisse facinus, decreto modum nuptiarum statuunt: idque observari non ab uno, sed ab universis iubent, ne persona designata, sed vitia correcta viderentur.“ Hanno consilia sua detecta videns, servos concitavit, statuitque rursus caedium diem. Cum autem denuo se proditum esse comperisset, timens iudicium centumvirorum, munitum quoddam castellnm cum servis armatis occupavit et paulo post captus et occisus est. — Omnia fere, quae Theodorus narrat, ad hunc Hannonem referri possunt. Erat enim vir privatus (ἰδιώτης); maiora concupiscebat, et plura sibi arrogabat, quam privatum decet (ἰδιώτου πλέον φρονήσαντα); regnum adspirabat non palam, sed clam, quippe qui clandestinis machinationibus et insidiis consilium se executurum speraret (καὶ τυραννίδος οὐκ ἐπιχείρησιν εὔδηλον). Senatus cum sibi tanta pericula imminere vide-

ret, severe consulere noluit in virum opibus et potentia tam insignem, ne palam fierent eius prava consilia (ὑποψίαν σχεδὸν παρεχόμενον). Qnae Iustinus de eius supplicio narrat, non plane quidem cum verbis Metochitae consentiunt, sed in his non haerendum est. Cum enim priora: τάχιστ' ἀπαλλάξαι κακῶς bene cum narratione congruant, sequentia: τοῖς ἐσχάτοις κινδύνοις περιπεσεῖν ampliori sensu intelligenda sunt, quibus verbis Theodorus saepe utitur non solum ad omnia incommoda, pericula et fata adversa indicanda, quae homines perpessi sint, sed etiam ad omne supplicium et quemlibet funestum vitae exitum describendum. Praeterea ceteri scriptores de hac crudeli nece Hannonis tyrannidem affectantis non idem tradiderunt, nisi fortasse alius fuerit Hanno iste, quem Plutarcho teste (de praecept. polit. Vol. IX. p. 191. ed. Reisk.) Poeni eam ob causam tyrannidem affectare criminati sunt et in exilium miserunt, „quod militiae impedimentorum baiulo uteretur leone.“ Plinius (H. N. VIII, 16.) de hoc ita tradit:

„Primus autem hominum leonem manu tractare ausus et ostendere mansuefactum Hanno e clarissimis Poenorum traditur: damnatusque illo argumento, quoniam nihil non persuasurus vir tam artificis ingenii videbatur: et male credi libertas ei, cui in tantum cessisset feritas.“ Plinius non de proditione palam facta loquitur, sed tantum de occulto novarum rerum studio, de sola suspicione et de summis periculis, in quae vir privatus tam praepotens et audax inciderit. Optime igitur ad hanc narrationem referenda sunt verba: *ἰδιώτου πλέον φρονήσαντα καὶ τυραννίδος οὐκ ἐπιχείρησιν εὔδηλον, ἀλλ' ὑποψίαν σχεδὸν παρεχόμενον τάχιστ' ἀπαλλάξαι κακῶς καὶ τοῖς ἐσχάτοις κινδύνοις περιπεσεῖν.* — Huius damnationis, quae tam iniusta atque temeraria videtur, alia fuit sine dubio et gravior causa, quam Plinius affert. Centumviris profecto machinationes clandestinae et occulta consilia viri tam potentis satis nota erant, quibus permoti tam severe iudicabant. Prudenter autem et caute agebant,

quod illius artes et novarum rerum studium silentio tegebant, ne quis hoc exemplo inductus similia consilia moliretur. — Ex omnibus his patet, Theodorum de nullo alio viro, quam de Hannone locutum esse, quod eo verisimilius est, cum Aristoteles ipse (Polit. V, c. VI. §. 3. ed. Schneid.), ex quo Metochita tam multa hausit, huius Hannonis regnum adspirantis mentionem faciat, eumque Carthagine idem molitum esse tradat, quod Pausanias Lacedaemone conatus sit. Quam ob rem non dubitavi, διὰ μόλῆν (quod mendum scripturae est) mutare in δ' Ἄννωνα.

EXCURSUS II.

De privatis optimatum conventibus et consultationibus.

Theodorus narrat, Poenos noctu peregisse negotia publica, et conventus atque concilia vespertino et nocturno tempore ha-

buisse. Haec narratio memoratu digna est et nova, cum nullus Graecorum et Romanorum scriptorum huius rei mentionem faciat, immo etiam contraria ratio ex his evidenter demonstrari possit. Livius XXXIV, 61. de Aristone, quem Hannibal Carthaginem ad amicos suos cum mandatis misit, haec tradit: „Aristo tabellas conscriptas celeberrimo loco supra sedem quotidianam magistratuum prima vespera suspendit. Ipse de tertia vigilia navem conscendit et profugit. Postero die, quum Sufetes ad ius dicendum consedissent, conspectae tabellae demtaeque et lectae.“ Ex qua narratione perspicue intelligitur vespere et nocte nulla negotia atque officia, quae ad rempublicam pertinerent, acta esse atque exercita, sed matutino tempore. Aristo enim audere non potuisset, tabellas scriptas infigere, si magistratus sub hoc tempus in forum convenire consuevissent. (Cf. Appian. Syr. c. 9.) Occulto hoc fecit Aristo et quidem eo tempore, cum forum hominibus vacuum esset. Eadem sententia ex Iustino XXXII, 2. probatur. „Hannibal enim, cum animadvertisset, sui exposcendi causa lega-

tos Romanos Carthaginem venisse, priusquam hi in senatu mandata sua persolverent, tota die in oculis principum et legatorum Romanorum in foro Carthaginiensium obversatus in supremum (i. e. usque ad solis occasum, vid. Gronov. adnot. ad h. l.) appropinquante vespere equum conscendit et ad Antiochum fugit. Postera die civitas principem suum in foro exspectabat etc." Ex his locis satis apparet, publica negotia neque vespere neque noctu administrata esse, et tertiam vigiliam (i. e. tres illas horas, quae mediam noctem proxime sequuntur) praecipue propter quietem et somnum incolarum fugae et occultis rebus opportunissimum temporis spatium fuisse. Cum igitur neque de publica iurisdictione, neque de concionibus aut de solito magistratuum consessu sermo sit, facile intelligitur, Theodorum de aliis conventibus dicere. Et profecto! verborum accuratior interpretatio veram eius sententiam satis indicat. Σύνοδος apud Graecos et conventum privatorum et publicum magistratuum consessum significat. Eandem duplicem vim habet τὸ βουλευτήριον, quod ad

consilia et deliberationem privatorum non minus adtinet, quam ad consultationes magistratuum. Quae res eo magis illustrabitur, si memineris ex superioribus, apud Cretenses et Spartanos Plutarcho teste (Symp. VII. quaest. IX.) τὰ φιδίτια βουλευτηρίων ἀποῤῥήτων καὶ συνεδρίων ἀριστοκρατικῶν τάξιν (i. e. institutum, rationem) habuisse. Summo iure igitur haec narratio ad ea instituta Poenorum referenda est, quibus optimates utebantur, ut suas res privatas bene gererent et reipublicae gubernationem ad sua commoda regerent; ergo his verbis s o d a l i t i a P o e n o r u m arcto f a m i l i a r i t a t i s v i n c u l o i n t e r s e c o n i u n c t o r u m (τὰ συσσίτια τῶν ἑταιρειῶν) satis manifeste indicantur. His enim artibus optimates, (i. e. quinqueviri et centumviri) potestatem suam firmabant. Hac causa permoti conventus (συνόδους) vespere et noctu habebant, ut occulto deliberare et commune consilium capere possent, quod in publico senatorum consessu, et, si opus esset, in ipsa populi concione uno animo proponerent, defenderent, perficerent. Sed de callido isto nobilium instituto, tam multa dixi,

cum de συσσιτίοις τῶν ἑταιρειῶν disputarem, ut cuivis singularem hanc optimatum conditionem satis notam atque perspicuam fore censeam.

I.

INDEX NOMINUM.

A.

B.

C.

D.

II.

INDEX GRAECUS.

III.

INDEX LATINUS.

Lipsiae, typis Breitkopfii et Härtelii.

Corrigenda. Addenda.

Pag. 3. in Not. lin. 4. leg. δι᾽ pro: δί.
Pag. 20. in Not. l. 7. leg. fédératifs pro: féderatifs.
Pag. 29. lin. 1. in Not. leg. gavisus pro: gravisus.
Pag. 48. lin. 15. leg. reperiat pro: reperit.
Pag. 57. lin. 15. leg. nominaverint pro: nominaverunt.
— — — 17. leg. appellaverint pro: appellaverunt.
Pag. 59. lin. 10. leg. punctis pro: puuctis.
Pag. 64. lin. 16. leg. vult pro: voluit.
Pag. 67. lin. 13. leg. τοὺς κινδύνους pro: τῶν κινδύνων.
Pag. 71. lin. 16. leg. fefellisse pro: fefellisso.
Pag. 72. lin. 14. leg. desiderari pro: desiderare.
Pag. 72. lin. 19. Haec ita emendanda sunt: Qua de causa Carthaginienses sapientius Lacedaemoniis et aliis populis fecerunt, quod neque ad primogeniti praerogativa jura, neque ad eam aetatem, quae regiae dignitati ex vulgari opinione conveniret, i. e. ad senectutem respicerent, sed ad virtutes etc.
Pag. 76. lin. 2. in Not. leg. qui pro: Qui.
Pag. 89. lin. 22. leg. erant pro: essent.
Pag. 100. lin. 5. Post verba: Quinqueviris, adde: Centumviris.
Pag. 120. lin. 4. leg. quinque pro: quinqne.
Pag. 121. lin. 17. Post Δεκαδαρχίαι adde: seu δεκαρχίαι.
Pag. 128. lin. 15. leg. Hannibali dicto audiens pro: Hannibalis d. a.
Pag. 139. lin. 17. leg. cruce pro: crucem.
Pag. 145. lin. 7. Post: „Manifestum enim est," deleantur verba ἐξεληλυθότας et μέλλοντας, et legatur hoc modo: Manifestum enim est μέλλοντες ex Aristotelis sententia etc.
Pag. 180. lin. 14. post: Βέλτιον δ᾽ comma ponatur.

In sequentibus vocabulis mutetur accentus acutus in gravem: Pag. 3. in Not. διά, p. 8. πολιτικά, p. 26. in Not. Καρχηδών, ἑνός, p. 35. ἀρχήν, p. 59. μή δέ, p. 106. δέ, p. 115. σκοπόν κ. τ. λ.

Ad pag. 190. lin. 22. Fortasse nihil aliud etc. Quamquam nunc quoque persuasum mihi est, ad ἐκφεύγουσι nihil aliud quam τοῦτο supplendum esse, durum tamen atque contortum videtur, hoc pronomen ad sequentia referre, cum potius ad antecedentia pertineat et sententia hoc modo recte explicari possit: Carthaginiensium respublica maximam partem ab optimatibus gubernabatur, quorum imperium ad oligarchicam civitatis formam accedebat. Metuendum igitur erat, ne plebeii aliquando procerum artes animadverterent et ex hac causa eorum potestatem deprimere conarentur. Quod periculum ut vitarent, Poenorum optimates magnam plebis partem in externas colonias et singulos cives importunos, ingenio, solertia et audacia eminentes in vicina oppida emittere solebant, ubi frequentibus divitiarum acquirendarum opportunitatibus oblatis eorum oculi perstringerentur et animi attentio a primorum dominatione averteretur.

Literarische Anzeige.

Im Verlage der Buchhandlung Josef Max und Comp. in Breslau sind nachgenannte Werke erschienen, und durch alle Buchhandlungen des In- und Auslandes schnell zu beziehen.

Bredow, G. G., Schriften. Ein Nachlass. Mit dem Bildniss und dem Leben des Verfassers, herausgegeben von Dr. J. G. Kunisch. Neue Ausgabe. gr. 8. 1823. Geheftet 1 Thlr.

Coelln, Dan. a., Spicilegium observationum exegetico-criticarum ad Zephaniae vaticinia. 4 maj. 1818. 12 Gr.

Elsner, H. F., Paulus Apostolus et Jesaias Propheta inter se comparati. Specimen critico-historicum primum. 4. 1819. 6 Gr. Specimen alterum. 4. 1821. 4 Gr.

Etzler, C. F., (Rector und Prof.) Gymnasialblätter. 1. Band. 8. 1823. 1 Thlr. 8 Gr.

Förster, A. G., de bonorum possessione contra tabulas parentum, liberis praeteritis competente. 8. 1823. 1 Thlr. 8 Gr.

Frenzel, A., num dogma catholicum est, matrimonii vinculum inter vivos conjuges nullo in casu solvi posse? edid. Dr. Dereser. 8. 1819. 6 Gr.

Gaupp, Prof. E. Th., quatuor folia antiquissimi alicujus digestorum codicis rescripta Neapoli nuper reperta, nunc primum edita. 4. 1823. 12 Gr.

Gottfried's von Strassburg sämmtliche Werke, mit Einleitung und Wörterbuch, herausgegeben von Fr. H. von der Hagen. 2 Bände. Mit einem Kupfer, nach einem Bilde im Münchener Codex, gezeichnet von Ruhl in Cassel, gestochen von Meyer in Berlin. gr. 8. 1823. Druck-Papier 3 Thlr. 18 Gr. Velin-Papier 5 Thlr.

Hagen, Fr. H. v. der. Der Nibelungen Lied. Zum erstenmal in der ältesten Gestalt aus der St. Galler Urschrift, mit Vergleichungen aller übrigen Handschriften. 3te, berichtigte, mit Einleitung und Wörterbuch vermehrte Schulausgabe. gr. 8. 1820. 1 Thlr. 18 Gr. Velin-Papier und kartonnirt 2 Thlr. 18 Gr.

— — Dasselbe. Grosse Ausgabe. Mit den Lesarten aller Handschriften unter dem Texte, und Erläuterungen der Sprache, Sage und Geschichte. 2ter Band. Auch unter dem Titel: der Nibelungen Noth. 3te, berichtigte, mit Einleitung und Wörterbuch vermehrte Auflage. gr. 8. kartonnirt 3 Thlr. 16 Gr. Velinpapier und kartonnirt 4 Thlr. 20 Gr.

— — Die Nibelungen: ihre Bedeutung für die Gegenwart und für immer. 8. 1819. Geheftet. 1 Thlr. 4 Gr.

Halbkart, C. W., Tentamina criseos in difficilioribus quibusdam locis auct. veter. et graecor. et latinorum. 8. 1815. 4 Gr.

Herber, Dr. C. J., Silesiae Sacrae Origines. Adnexae sunt Tabulae Chronologicae in Annales historiae dioecesanae. 8. maj. 1821. Charta impress. 20 Gr. Charta membran. 1 Thlr. 6 Gr.

Hoffmann, Dr. F., de ecclesiae catholicae infallibilitate. 8. 1823. 8 Gr.

Kruse, F. C. H., de Istri ostiis, dissertatio historico-geographica, cum tabul. geogr. 8. 1810. 6 Gr.

Linge, C., Quaestionum Plautinarum liber primus sive de hiatu in versibus Plautinis. 8. 1819. 8 Gr.

Maciejowski, Dr. W. A., Opusculorum Sylloge prima. 8. maj. 1823. 20 Gr.

Müller, K. O., (Dr. und Professor in Göttingen) Geschichten hellenischer Stämme und Städte. 1ster Band. Orchomenos und die Minyer. Mit einer Karte. gr. 8. 1820. Druckpapier 2 Thlr. 16 Gr. Velinpapier 3 Thlr. 8 Gr.

Müller, K. O., (Dr. und Prof. in Göttingen) Geschichten hellenischer Stämme und Städte. 2ter Band in 2 Theilen. Die Dorier. 2 Theile. Mit 1 Karte. gr. 8. Druck- und Velin-Papier.

Nösselt, Fr., Lehrbuch der Weltgeschichte für Töchterschulen und zum Privatunterricht heranwachsender Mädchen. 2 Bände. 8. 4 Thlr.

— — kleine Weltgeschichte für Töchterschulen und zum Privatunterrichte heranwachsender Mädchen. 8. 1823. 8 Gr.

Perikles. Aus dem Griechischen des Plutarchos mit Anmerkungen übersetzt von Dr. J. G. Kunisch. gr. 8. 1818. 10 Gr.

Pinzger, Dr. G., de dramatis graecorum satyrici origine. Disputatio. 8. 1823. Geheftet 4 Gr.

Richter, Jean Paul Fr., Dr. Katzenbergers Badereise, nebst einer Auswahl verbesserter Werkchen. 2te verb. und stark vermehrte Auflage. 3 Bändchen. 8. 1823. Velindruck-Papier 3 Thlr. 12 Gr. geleimtes Velin-Papier 4 Thlr. 12 Gr.

Schirmer, A. G. F., observationes exegetico-criticae in librum Esdrae. 4. 1820. 6 Gr.

Schubarth, K. E., Ideen über Homer und sein Zeitalter. 8. 1821. Weiss Druckpapier 1 Thlr. 12 Gr. Schweizer Papier 2 Thlr.

— — Zur Beurtheilung Göthe's, mit Beziehung auf verwandte Literatur und Kunst. Zweite vermehrte Auflage. 2 Bände. 8. 1820. Weiss Druckpapier 3 Thlr. 12 Gr. Schweizer Papier 5 Thlr.

Steffens, H., Ueber Deutschlands protestantische Universitäten. gr. 8. 1820 Geheftet 10 Gr.

— — Schriften. Alt und Neu. 2 Bände. gr. 8. 1821. Druckpapier 3 Thlr. 6 Gr. Velin-Papier 4 Thlr. 8 Gr.

— — Anthropologie. 2 Bände. gr. 8. 1822. Druckpapier 4 Thlr. 18 Gr. Velin-Papier 6 Thlr.

Suckow, Dr. F. G. G., de Platonis Parmenide. Dissertatio. 8. 1823. Geheftet 4 Gr.

Taciti, C. Corn. Equitis Romani, Germania. Recensuit, varietate lectionis instruxit, annotationemque G. G. Bredovii integram addidit Fr. Passow. 8. maj. 12 Gr.

Unterholzneri, Prof. C. A. D., coniecturae de supplendis lacunis quae in Gaji Institutionum commentario quarto occurrunt. 8. maj. 1823. 6 Gr.

Waagen, Dr. G. F., Ueber Hubert und Johann van Eyck. 8. 1822. Druckpapier 1 Thlr. 6 Gr. Schweizer Papier 1 Thlr. 16 Gr.

Wellauer, Commentationum Aeschylearum specimen. 8. 1819. 10 Gr.

— — de Thesmophoriis. 8. 1820. 8 Gr.

Xenophon's Anabasis. Uebersetzt und mit Anmerkungen versehen von Prof. und Rector K. W. Halbkart. Zweite verbesserte und vermehrte Auflage. gr. 8. 1822. Preis auf weissem Druckpapier 1 Thlr. 8 Gr. Schweizerpapier 2 Thlr.